PROPOSITIONES

Ex Universa Theologia

Positivo Dogmatico Polemico Critico

SCHOLASTICÆ

Juxta mentem Sacrarum Literarum,
SS. Patrum, Conciliorum, ac Ve-
nerabilis Joannis Duns SCOTI Do-
ctoris Subtilis & Mariani.

Ex Decreto VV. Definitorij Provicialis
in Congregatione Radomscensi, Studi-
orum reformationi intenti, concinna-
tæ, publicæq; concertationi.

EXPOSITÆ

Mense Junio MDCCLXI.

VARSAVIÆ.

Typis S. R. M. & Reipublicæ in Collegio Regio
Scholarum Piarum.

Non est grande mi Domnion, garire per angulos, & mendicorũ tabernas, ac de mundo ferre sententiam; Hic bene dixit, ille male: iste scripturas novit, ille delirat: iste loquax, iste infantissimus est. Ut de omnibus judicet, cujus hoc judicio meruit? Contra quemlibet passim in trivijs strepere, & congerere maledicta scurrarũ est, & paratorum ad lites. Moveat manum, figat stylum, & commoveat se, & quid quid potest scriptis ostendat, Magnus Hieronymus ad Domnionem.



JLLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
MATHÆO ALLIPIO
KRASZEWSKI
Divina Vocatione Abbati Cervenenſi,
Canonico nato Płocensi, Præpoſito
Błonenſi.

Studium Franciſcanum Varſavien:

QUum Theologicas Propoſitiones triennali operâ ac ſtudiô eliqua-

 tas

tas, ex immenſo pene Sacræ Facultatit ſinu in nucleum redactas, à privatis exercitationibus publico certamini exponere ſtatuiſſemus, quod videlicet hoc diſputationis genus in more poſitum, inſtitutoque, Majorum ſacrum habeamus, prorſus autem neceſſarium videbatur, Patronum aliquem & Auſpicem nobis adſciſcere, qua Nobilitate generis ac dignitate Perſonæ, qua ſapientiæ laude & virtutis nitore, qua erga viros literarios commitate & Ordinem Seraphicum benevolentia clariſſimum Tu ſtatim quæis omnibus cumulatiſſimus animis noſtris occuriſti MECÆNAS AMPLISSIME JLLUSTRISSIME *Atque, ut iſt hæc in Te ſingula, abſque fuco verborum primoribus attingam labiis, haud enim de rebus omnium oculis obverſatis ac conſpicuis, multam orationem*

ſtrui-

struimus, ne per ipsum dicendi genus longum & prolixum obscurum fiat, quod ex se se formâ clarissimum est ac pervulgatum. Splendor Nominis Tui ac Nobilitas, si à fumosis immaginibus depromenda foret, aut ex sæculorum fastis immortalibus evocare in paginam, vel denique amplis honoribus aucta, ab eorum fastigijs in quibus mirifice præfulsit repeteretur, aciem mentis obtunderet, lassaret animos virorum, ingenio in cogitando, viribus in dicendo, auctoritate in persvadendo valentiorum. Missam perinde facimus retroactorum sæculorum ætatem: Hacce tempestate Conventus nostri Petricoviensis adversis flammis toties vastati munificentissimus Benefactor, Studiorum in Polona Candidissimi Præmonstratensium Ordinis Familia Institutor, Cænobij Ecclesiæque Vitoviensis mole sua, vetustate

genti-

gentium temporumque injuriâ collapsæ ac dirutæ: ex integro Fundator, plurimorum operum zelo Apostolico refertorum, pietate ac ascetico spiritu conditorum in lucem vulgatorum auctor, Illustriss: & Reverendiss: loquimur DANIELEM KRASZEWSKI *d. v. olim Abbatem Vitoviensem, cujus præclara gesta in Ecclesiam, in publicum, si Alumni, si homines taceant, libri publici juris facti, lapides de sacris parietibus magnifice per Ipsum extructi, ad posteros clamabunt, divulgabunt. Verum enim verò, maneat tanti Viri memoria in benedictione: Hisce nostris diebus germani Fratres Tui, quos honoris caussa nomino, Perill: & Reverend:* D. ADALBERTUS KRASZEWKI, *Canonicus Cathedralis Chełmensis, Præpositus Mordensis, Vir plane Apostolicus, in excollenda vinea Domini indefessus,*

in

in promovendo Divorum cultu assiduus, in procuranda animarum salute forma gregis factus ex animo, nemini secundus Illustris: JOANES KRASZEWSKI, *Subdapifer Palatinatus Innovladensis, ex eodem ad Tribunali præsens Radomiense Commisarius, à Tribunali ad Augustissimam Regis Serenissimi Majestatem Legatus, Judiciorum, magnarumque id genus rerum arbiter, quantum oris elegantia, verborum pondere, sensus maturitate, promovendi boni Reipublicæ energia, in Curia Regia, spectantibus & applaudentibus Patribus Patriæ egit, dixit, proposuit, mox in cudendo sudabit prelum, facti ab eo sermonis, negotiorum Legatione absolutorum, copias toti publico producturum: Hi inquam Fratres, Tui Nominis splendorem, gloriam, accendunt, manifestant. Hæc à nobis per*

tran-

transsenam dicuntur, quum in Te solo & unico summa præsentium nostrarum rerum consistat, Qui quæ non fecisti Ipse, vix tua esse putas. Qui divina vocatione perfusus. in sacrum Lateranensium Canonicorum Regularium Ordinem, latus Ecclesiæ fulcientem, inque eo ceu cor situm, Cujus post Apostolos, (quod in Extravaganti Benedicti XII. legimus,) primus in Ecclesia Alexandrina Marcus Petri Discipulus institutor ac conditor, & gloriosus Doctor Augustinus divinis Regulis instaurator; In hunc inquam Ordinem cooptatus, qui cælo assertos Vaticani oraculo duodenonaginta viros, sexus alterius quatuor supra triginta, innumeros porro alios recenset, quibus substractus Sanctitatis publicus titulus, sed non opinio, non delecta quidem Apotheosis at dilata: in Cervenensi vetustis-

tustissima septingentorum & amplius annorum Congregatione, viris omni ætate, amplitudine nominum, pietate ac eruditione decoris florentissima, postquam vota tua Deo nuncupasti, quid quæso in omne bonum propensus missum fecisti eorum, quibus Tibimet Ipsi ad meliorem frugem, Sacerrimæ Congregationi Tuæ ad decorem & gloriam non prodesses? Si Apostolica illa disseminaudi Verbi Dei provincia, implantandarum virtutum, ac evellendorum vitiorum de cordibus fidelium munus pergrave indefesso latere gerendum fuerat? naviter gessisti, multo tempore prædicationi deditus, oves Christi petulcas verbo & exemplo, fidelem populum, prius Ipse instructus, ad omne virtutis genus instruxisti. Si instituendorum Novitiorum Magisterium sufferendum? in quo solo summa cujusvis Religionis pendet,

facile enim ad canos uſque deducunt, quæ à Magiſtris hauſere juvenum animi, magna cum laude tuliſti, non aliter neoſpirantia ad perfectionem colla, jugo Religioſæ diſciplinæ adaptans, quam per continuum Studium eorum, quibus Regularis vitæ viam nuper ingreſſi adoleſcentes, quaſi novellæ plantulæ irigari debebant, ac informari: Rem ita ſe habere, revelat Speculum Vitæ Apoſtolico Canonicæ, per Te prius Novitiis objectum, quatenus ex eo, ac Tuo facem præferente Spiritu, novæ vitæ formam induerent, Apoſtolicarum virtutum exercitium operarentur; poſtea Typis vulgatum ſuppreſſo tamen nomine, quatenus magis ac magis gloriolā publici declinans, modeſtiæ Tuæ conſuleres. Si Secretarij partibus? Si denique Præſidentis officio fungi oportuerat? Laboribus, vigiliis, curis in admini-

ſtran-

ſtranda re communi, ac publica nullis peperciſti, quovis in gradu ſingulari prudentia, animique moderatione adeo commendatus, ut ad ſummam rerum adminiſtrationem non tam factus, quam natus eſſe videreris, ardentiſſimum zelum ſartam tectam cuſtodiendi diſciplinam Regularem nunquam remittens. Poſſem hic nominatim commendare Eccleſiarum Pomiechovienſis, Varſavienſis Błonenſis ſollicitudines Tuas, quarum Præpoſituram ea ſolertia ac dexteritate tenuiſti, ut viva illius monumenta jam in aucta ſacra ſuppellectili, jam in adornandis vel a nova radice conſtruendis Divorum altaribus, jam in reſtaurandis, & de ruderibus antiquitatis noviter efformandis Sacris Ædibus, nunquam non ſint, non futura. Certe ſi Pomiechovienſis Eccleſia præſentem venuſtatem à Te acceptam, cum rudi

tate

tate antiquitus habita conferre posset, deliquium pateretur. Si oves illius Ecclesiæ Te Pastore doctrina Christiana ac salutaribus præceptis pastæ, eam simplicitatem ac inscitiam rerum Christianarum, qua laborabant, nunc introspicerent, tantum eam dedignarentur, quã quod maximũ. Ex his quæ dicimus factum est, ut in Te unum viduatæ suo Præsule Congregationis Cervenensis ora, pronæque, voluntates converterentur, in Te omnium vota convenirent, cui incredibili plausu, & animi consensu Pastorale Pedum, supremi regiminis habenas traderent, commendarentque Efferebant Te in eum gradum quem tenes ABBAS JLLUSTRISSIME *suffragia communia, sed longe ante evehebat illa virtus. morumque tuorum suavitas, atque elegantia, perpetuus tuus comes, illa sapientia ac prudentia*

tia, pietas ac devotio illa quam per eximium Opus titulo Considerationes supra præcipuos Articulos Regulæ D. Aurelii Augustini, per Sololiquia itidẽ a rudi Polono idiomate depurata, ac ad meliorem cultioremque stylum gravi labore reducta, posteris traducis, non aliam mercedem quærens nisi Deum Ipsum, ac uberiorem profectum Canonicorum suorum, imo vero omnium sub eadem Regula militantium. In tam eminenti dignitate positus, totam vim ac conatum eo confers, quo Sacerrimã Congregationem tuam, alumnis ab exteris tuis impensis vocatis amplies, quo studia profanarum & Sacrarum Literarum, Philosophiæ nimirum & Theologiæ reædifices, quo communi publicoque bono comissi sibi gregis, & per-maxime restaurandæ Regularis disciplinæ prosis, consulas, opituleris. Neque vero

Deo

Deo vocante in Abbatem electus, ac constitutus, aliquid benevolentiæ qua cunctos omni humanitatis officio prosequeris, ac omnium animos Tibi devincis, remisisti erga viros Literarios quorum consvetudine à teneris delectabaris, erga totam Seraphici Patris Familiam, & maxime nostram, hodiedum adhuc supersunt ex nostris multi magnique viri, honestissimis sermonibus Tuam in se comitatem, eximiasque animi dotes, in Te deprædicantes: quin imo auxisti intendisti, dum hoc qualecunque munusculum animo Tui observantissimo ac devotissimo Tibi dicatum, qua es in omnes humanitate excipis, nosque placido vultu intueris. Quâ itaque facilitatê implorantibus Patrocinij gratiã huic opellæ impertiisti, eâ nos successa omnia Tibi cupimus, & augu-ramur fore, ut magnis summisque honori-

noribus floreas. Ad eos perge ABBAS ILLUSRISSIME, *perge ut facis eggregijs virtutibus Tuis, ita enim non ſolum generis, nobilitate, ſplendore vitæ, pietate, ſapientia, viam Tibi ad ſummas Eccleſiæ dignitates aperis, ſed etiam antiquiſſimæ, Nobiliſſimæq;* KRASZEWSCIANÆ *Familiæ famam, celebritatem amplificas, auges, protrahis, Sacerrimæ Lateranenſium Canonicorum Regularium Congregationi, honorem ac venerationem concilas, o! utinam ad ſummum uſq; conciliaturus precamur.*

Ad Le-

AD LECTOREM

PRinceps in Ordine nostro Seraphico in Collegio Bolliensi Theologus ac Professor, Thamaturgus Antonius de Padva, studiô quo primos Alumnos ablactabat tantum S. Patri nostro arrisit, quod ad cum plenas amoris dederit literas, apûd Vadingum in Opusc; S. Erancisci exaratas Charissimo Fratri meo Antonio salutem Placet mihi, quod Sæ Thæ literas, Fratribus interpreteris, ita tamen ut neque in te, neque in cæteris (quod vehementer cupio) extinguatur S. orationis Spiritus, juxta Regulam quam profitemur. Quantum Professor is eminuit in studio quale tradebat, recenset vivæ vocis oraculum Gregorij IX. quo arca Testamenti fuerat declaratus, ob plenissimam nimirum Scripturarum Divinarum scientiam ac peritiem. Eandem Antonij in docendo Methodum servarunt SS. Bonaventura, Thomas, Vblis Scotus, quorum opera S. Dei verbo undique, redundant, una cum rationibus a juris naturalis scientia repetitis. Verum labénte sæculo

lo XIV. advertit doctissimus P. Concina) plures Theologi Scholastici, neglectis Scripturis Sacris totos se dederunt humanis ratiociniis, & volumina innumera evulgarunt, plena metaphysicis subtilitatatibus, sophisticis ratiunculis, & humanis opinionibus: quæ proinde non Dei, sed hominum doctrinam continent. Non destitere malos usus per Theologiam grassantes improbare viri præstantissimi Melchior Canus, Lib: VIII. de Loc. Theolog: aliique eam instituentes Scholæ doctrinam, quæ S. Scripturæ, Conciliorum, Patrum fundamentis constituta sit. Ad eandem reintroducendam in Scholas nostras toto nisu contendit in Provincialem electus AA. & Sacræ Theologiæ Doctor Pater Paulinus Sękowski *toto triennalis sui regiminis tempore, gravioribus circa Provinciam, virtute, observantia, legum peritia, ac perfectione religiosa investiendam curis distentus, quam ut magis magisq; implantaret, assensum VV. Definitorij in Radomscensi Congregatione adhibuit. Tanti Provincialis, tantique olim hac in facultate Institutoris nostri o! utinam ea qua par est Professoribus obser-*

vantia

vantia, minimi licet diſcipuli obſequeremur votis. Hic Optime Lector habes primam faciem Theologiæ Ordinis noſtri anteriori ætate immutatam quidem, ſequentibus attamen rehabendam. Cæterum ſi quid forte in his quæ ſequuntur, aut palato tuo inſipidum, aut errori obnoxium repereris pro humana infirmitate lapſis veniam ſi humanus es non denagabis.

PROPOSITIONES THEOLOGICÆ DE PROLOGOMENIS.

I.

THeologiæ nomen a *Dionyſio Areopagita* acceptum, qui primus in ſuo (*a*) ut creditur libro Chriſti diſcipulos eo inſignivit honore: *Aderat & Petrus ſupremum decus, & antiquiſſimum Theologorum culmen*, ſapientiam ſcientiamque ſupernaturalem ex principijs revelatis, varias concluſiones tam de Deo, quam ijs quæ ad Deum quoquo modo ſpectant, certo deducentem ſignificat, a virtute Theologica fidei diſtinctam, ratum habemus cum *Auguſtino*, (*b*) *Hac* (Theologia) *fides ſaluberima gignitur, defenditur, roboratur, qua ſcientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipſa fide.*

II.

Una in ſe ac indiviſa manens Theologia, ex parte modi in *Poſitivam*

A &

(*a*) de divin: Nomin: (*b*) de Trinit: l. 14. c. 1.

& *Scholasticam* sola accidentali methodo diversas dividitur. Prior alteri gravitate longe antestat, in rebus enim ad Religionem pertinentibus docente (c) *August: in primis authoritas tenenda est*; nihil tamen erat causæ cur Wicleff. Luther Calvin: eorumque gregarij in *Scholasticam* quo ad substantiam toti Ecclesiæ absolute necessariam quo ad modum longe lateque utilissimam acriter debacharentur. Jllâ namque in gravibus de Religione quæstionibus disceptandis, celebres Ecclesiæ Patres usi sunt, ac commendarunt, præcipue August: (d) *disputationis* inquit *disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in literis sanctis sunt, penetranda & dissolvenda, plurimum valet, tantum ibi cavenda est, libido rixandi & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium.*

III.

Coætaneum ferè Ecclesiæ Catholicæ usum *Scholasticæ* Theologiæ, compertum fit exemplis Christi (e) tum Pauli, (f) tum Hieronymi in Cathalogo Scriptorum Ecclesiasticorũ, dum Marci

(c) de Trinit: l. 9. c. 1, (d) de doctr. Xtian: l. 9. c. 1.
(e) Math: c. 19. & 22. (f) 1. ad Corinth: c. 12. & 15.

ci Evangel: temporibus, Alexandriæ Scholas Theologicas floruisse asserit, & in illis post Clementem, Origenem ejus discipulum Cathedram tenuisse notat, (g) Unde Methodica res divinas tractandi ratio semper extitit, per S. Joannem Damascenum apud Græcos circa annum Christi *LCCC.* apud Latinos per Petrum Lombardum anno æræ vulgaris *MCLX.* vulgo *Magistrum Sententiarum* explanata, a D.D. Thoma Angelico, Bonaventura Seraphico Doctoribus, ac Venerab: Joanne Duns Scoto Subtili, Marianoque Doctore, omnibus numeris absoluta. Jure meritoque Sanctissimus olim de Ordine nostro Papa *Sixtus* V. in Bulla D. Bonaventuram albo Ecclesiæ Doctorũ inserente, monet *Quanto igitur magis hæretici hanc munitissimam Theologiæ Scholasticæ arcem oppugnare & evertere conantur, tanto magis nos decet, hoc invictum fidei propugnaculum defendere, & hæreditatem Patrum nostrorum defendere ac tueri.*

IV.

Et quia cæterarum facultatum nobilitas petitur ab Objectis, quantam

(g) Epist. 64. ad Pammach: & Ocean:

tam in Theologia reperire est? dum *pro Objecto formali quod*, Deum sub ratione Deitatis contemplatur, *pro formali motivo* veracitatem Dei in revelando, quatenus per discursum Theologicum applicatur & innotescit. Jllius porro discursus, ex revelatis ac fide divina creditis eruta conclusio pure Theologica, vere & proprie dicta, inferioris certitudinis est, dogmate Catholico imperato, quod solum Articulum fidei proprie dictum, non autem liberum, aut toleratum, ultro profitemur. Quatenus vero conclusio ac quævis argumentatio Theologica maneat firmissima: *Decretum unicuique, sit* (erudite monet P. Mabillon de studijs Monasticis (*h*) *qui Scholasticæ utiliter operam dare, eamque cupit reddere tollerabiliorem, limine in ipso se ad Locos Theologicos instituat, quibus discat, ratione non admodum barbara Scholæ quæstiones exponere, futiles de medio tollere, nullamque opinionem veluti fidei caput intrudere de qua minime pronunciavit Ecclesia.* Tali certe pacto Theologia viæ, nullatenus subalternata Theologiæ Beatorum nos diriget in eum fi-

nem

(*h*) p. 2. c. 6.

nem quem respicit *Sic discendum in terris, quorum nobis scientia perseveret in Cælis*, cavet Hieronymus (*i*)

EX LOCIS THEOLOGICIS

De Verbo Dei Scripto, tum tradito.

V.

THeologicorum Argumentorum sedes primaria, *Epistola quædam Omnipotentis Dei ad suam creaturam scripta*, juxta Greg: M. (*k*) Sacra Scriptura, fidei morumque regula infallibilis, voluntatem divinam nobis expresse manifestans, tam certe existit, quam evidenter Libertini privato spiritui tanquam regulæ obsequentes tota via errant: comites itineris habentes eos, qui divinas scripturas undequaque planas & apertas se videre gloriantur, atque ita quemlibet fidelium interpretem illarum constituunt. Aliter visum summo Viro Augustino, (*l*) *Mira est eloquiorum tuorum Deus, mira profunditas, horror est intendere in eam.*

VI.

(*i*) Epist: ad Paulin: (*k*) l. 4. Epist: 44. (*l*) l. 12. Confes: c. 14.

VI.

Anomæi ex Epiphanio, (*m*) Erasmus Spinosa, auctoritati Sacrarum Literarum nimium detrahentes, plurima ab auctoribus hagiographis proprio marte inserta blateravêre: Catholicissimi viri Bellarminus: alijque graves Theologi, quanquam professi sint Scripturam esse plane Verbum Dei afflante Spiritu S. conscriptum, & ut tale ab Ecclesia nobis manifestatum, quo ad omnes res & sententias, nusquam quo ad singulas voculas inspiratum credidêre: Nos integram Scripturam quo ad minimos usque apices dictante Spiritu S. exaratam non dubitamus *Ecce dedi verba mea in ore tuo* (*n*)

VII.

Dividitur Scriptura Sacra, sensu Historico & Mystico, Allegorico & Tropologico resperса; in Vetus & Novum Testamentum. Veteris Testamenti libri non Dei mali opera quod Manichæi, neque liber Jobi, Tobiæ, Estheris, ac Judith, nuda parabola, aut Pòétarum commentum, quod Heterodoxi obganniunt, verum germana historia, infallibilis cum cæteris authoritatis.

Neque

(*m*) hæres: 27. (*n*) Jerem: 1.

Neque Novum Teſtamentum aliquam diſcrepantiam in ſe complectitur, temeraritatis propterea inſipientiæque notæ ſunt, quibus illud allatrant Gnoſtici Manichæi Celſus Spinoſa &c. Omnes itaque Sacræ Scripturæ libri LXXII Canone Tridentino (*o*) comprehenſi divini ſunt, & ut tales ab omnibus recipiendi cum omnibus ſuis partibus, quorum aliqui *Proto-Canonici* alij *Deutero-Canonici* dicuntur, dividique ſolent in libros *Legales*, *Hiſtoricos*, *Sapientiales*

VIII.

Veteris Teſtamenti paginæ Hebraica lingua exceptæ, libris Danielis, Judith, Tobiæ, exceptis Chaldaice primitus exaratis (*p*) Præfationes eorundem loquuntur; Novi Teſtamenti, Græcè editi ab Apoſtolis, excepto Evangelio Mathæi, & Epiſtola ad Hæbreos, Syriaca lingua adornatis, cum eo tempore Hebraica non erat Judæis vernacula, uti refert Hieronymus. Damaſo Papæ (*q*) Prima verſio veterum codicum Sacrorum, fuit LXX. Interpretum maximæ olim auctoritatis in Eccleſia, ante ætatem Hieronymi. No-

vorum

(*o*) Seſ: 4. (*p*) D. Hieron: (*q*) Præfat: in Evang:

vorum, varia ac multiplex, ijs omnibus versionibus, sola Vulgata nostra communis anteponenda est, uti Autentica, in his quæ fidem ac mores respiciunt, ut advertunt Belarminus: & Canus (r) In reliquis, varijs mendis Ecclesiæ Authoritate emendandis opletam, ad oculum probat Frassenio, post Lucam Burgensem Alexander Natalis (s)

IX.

Supplicem Abgari Regis Edessæ Epistolam, ex Edessenæ Civitatis tabullario eruderatam, atque è Syriaco exemplari Græcè à se redditam exhibet Eusebius (t) Cæsariensis Episcopus, juxta versionem Christophorsoni his incipientem: *Abgarus Princeps Edessæ Jesu Servatori propitio &c.* cui respondens Servator scribebat: *Abgare beatus es &c.* alterutram harum literarum inter spurias & suppositias rejiciunt severiores Critici, Natalis Graveson &c. quas uti pro genuinis habemus, ita plurimis persuademur D. Paulum, & Senecam mutuas sibi literas dedisse.

X.

(r) de Locis Theolog: l. 2. c. 13. (s) Hist: Eccl: Sæc: 4. dissert: 39. (t) Hist Eccl: l. 1. c. 13.

X.

Alteram fidei noſtræ morumque regulam Traditiones Divinas, Divino-Apoſtolicas, doctrinam Sacris literis non comprehenſam exhibentes, veluti infallibilis veritatis oracula adſtruimus, de quarum numero præ alijs ſunt obſervatio Dominicæ, Antipaſchale jejunium, tribus primis ſæculis, ſumma Religione ſervatum, integro XL. dierum ſpatio, juxta auream Auguſt. (u) regulam: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conſilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum, non niſi Authoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Quadrageſimale idcirco jejunium, cæteraſque ſtatas abſtinentiæ ab eſu carnium ferias, Papalem tyrannidem eſſe, pro mera calumnia Joannis Dallæi petulantis ingenij Calviniſtæ reputandum.

De Eccleſia Militante.

XI.

Militantis Eccleſiæ vocabulo intelligenda venit, vocatio populi Dei in unum, ſeu cætus vocatorum a Deo, ita ut illi ſolum convenire dicantur, qui

(u) contra Donatiſt: l. 4. c. 24.

qui non proprio nutu accedunt, sed vocatione divina, tanquam primo omnium beneficio præveniuntur, dicente Apostolo (w) *quos vocavit, hos & justificavit, quos justificavit, illos & glorificavit.* Cætui huic sicut superna liberalitate adscripti sumus, ita obsequentes subscribimus, & ad minimum usq; unquem adhærere gloriamur.

XII.

Dei *Ecclesia Militans* hominum tantummodo perfectorum haud quamquam dicenda est, ut jam olim *Pelagiani* referente *Augustino* (x) æstimarunt ajentes: *vitam justorum in hoc sæculo, nullum omnino habere peccatum; & ex his Ecclesiam Christi, in hac mortalitate perfici:* quo in errore *Cathari* etiam & *Donatistæ* cæcutiêre, sicuti & cæcutit modo *Lutherus* cum asseclis, non prospicientes, Apostolos haud segregasse paleam & triticum in area, vasa aurea & fictilia in domo.

XIII.

Contra *Novatianorum* ac *Confessionistarum* errores à Fidelium cætu graves peccatores excludentium, pro veritate

(w) de Jejun: & Quadrag: l. 2. (x) ad Rom: 1. de heres:

ritate Catholica decertamus, teterrimis quantumvis ac publicis flagitijs quibuscunque credentes ab Ecclesiæ sinu non divelli; quin imo ali citius ac foveri Sacramentis scelestos omnes, veluti ægrotos morboque spirituali detentos, donec ab ægritudine Deo tandem suffragante solvantur. Jta *Paulus* (*y*) effatur, se scribere ad Ecclesiam, quæ est Corinthi, in qua ipsi significatum fuerat, contentiones esse, & audiri inter eos fornicationem, talem qualem nec inter gentes, *ita ut uxorem fratris sui aliquis haberet.*

XIV.

Quamvis reprobos æterno Dei decreto ad tartara detrudendos sancitum sit, nihil tamen secius, dum nos inter peregrinantur contra ac *Wiclef: Huss,* & *Calvin*; errabundi sentiant, à consortio communi cum ijs, qui sunt prædestinatione donati non excluduntur. Tempus verum tamen messis adveniet, quo veluti à tritico expurgata zizania in fasciculos collecti tradentur *ad comburendum igni inextingvibili.* (z)

(y) 1. Corint: c. 1. (z) Math: c. 22.

XV.

Num inter fidelium cætum recensendi sunt ij, inquorum animis acris serpit hæresis, & in orthodoxam fidem penetralia cordis virus exurit, ita tamen ne foras erumpat lues, sed subtus cutem sopita delitescat, lis tanta apud Catholicos quoque, adhuc a Judice pendet: Si quis hac in re nostram cupiat mentem, ij sumus: qui huiscemodi hæreticos palliatos intra Ecclesiæ cætum comprehendi pro benigniori sententia decertamus: *Sic sunt in corpore Christi*, (verba *Augustini*) *ut humores mali*. (a)

XVI.

Qui etiam excommunicatione confixi sunt, non manifestæ hæresis contumacia, sed solum criminosorum facinorum causa, tametsi ab aliorum colloquio, ac Sacramentorum communicatione prohibeantur, ab Ecclesiæ tamen agro eradicati credendi non sunt: Etenim dum hujuscemodi plectuntur pæna à populo Dei non separantur, quod innuit *August*: (*b*) sed vel per degradationem, vel per excommunicatio-

tio-

(a) Tractat:3. in Epist: Joan: (*b*) contra Donatist: c. 20.

tionem ad humiliorem pænitendo locũ rediguntur.

XVII.

Perperam vero *Jurius* recentior Calvinista, Magistri veterumque suorum errores recoquens publicos hæreticos veræ Christi Ecclesiæ agglomerat, ac salutem consecuturos pollicetur, in quacunque fuerint secta, aut sub quibuscunque Pastoribus, dum modo fundamentales Ecclesiæ Christianæ fidei Articulos profiteantur, omnium Catholicorum una vox est, cum *August:* nec hæreticus pertinet ad Ecclesiam. Hæreticos proinde nominatim ac publice denunciatos, excommunicatos, sicuti & Schismaticos à cætu fidelium spe salutis æternæ extra Ecclesiam consequendæ præcidimus: *Hoc enim agit nunc in Ecclesia excommunicatio* (judice August: (c) *quod agebat tunc* (in veteri Testamenti) *interfectio.*

XVIII.

Nitantur quantum velint sive Luther: sive Calvin: ut Catholici Argumenti robur declinant, in ipsos petitum ex successionis defectu, tum in do-

(c) Q: in 39. Deuteron.

ctrina, tum in paſtoratu, ex induſtria docere, veram Chriſti Eccleſiam, tam denſis eſſe tenebris circumfuſam, ut videri oſtendique non poſſit, tanto enim apertæ ſunt ſcripturæ pro veræ Eccleſiæ viſibilitate demonſtranda, ut cæci penitus phraſi *Auguſtina* (*d*) dicendi ſint, *qui tam magnum montem non vident, qui contra lucernam in candelabro poſitam oculos claudunt.*

XIX.

In caſſum itidem laborant hæterodoxi commentitio illo ſyſtemmate, ſe ſe nimirum cætui alicui viſibili non ſucceſſiſſe, in cujus medio *Babylon*, ſeu Romana Eccleſia nonnunquam defecit, eſtque defectibilis, ſed tantum cætui hominum inviſibili, in quorum cordibus Deus veram fidem, veramque charitatem conſervaverit: Eccleſia ſiquidem Romana, ſive ſecundum partem inviſibilem & interiorem capiatur, ſive ſecundum viſibilem & externam, utroque Scripturæ ſuffragante Teſtamento, Apoſtolicis literis annuentibus, dictantibus Patribus, atque ipſa ratione Theologica ſuadente deficere

ſicut

(*d*) Tractat: 2. in Epiſt: Joan:

ſicut nunquam potuit, *ita non vincetur, non eradicabitur, non cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat huius ſæculi finis*, His urgebat Donatiſtas univerſim deperditam, apud ſe tantum relictam Eccleſiã buccinantes Auguſtinus.

XX.

Viſibilitati ac indeffectibilitati genuinis Eccleſiæ Chriſti proprietatibus, adſtipulantur reliquæ, auctoritas in dirimendis controverſijs ad religionem ſpectantibus, infallibilitas citra ullũ erroris periculũ in cauſis fidei morumque de finiendis, quæ adeo Jlli præcipuæ ſunt, quod non ſola Scriptura, non privatus cujuſque ſpiritus non Princeps ſæcularis, (ut crocitant corvi mendaces novatores) ſed ipſa ſola Eccleſia Corpus videlicet Epiſcoporum ſuo Capiti Romano Pontifici adhærentium, eſt ſupremus & infallibilis Judex controverſiarum ſive ſpectetur intra ſive extra Concilium, uti columna & firmamentum veritatis (e)

XXI.

Ne cum alijs porro quæ circumducun-

(e) ad Timoth: c. 3.

ducuntur ſectis vera confundatur Ecclesia, *quum ſinguli Hæreticorum cætus ſe potiſſimum Chriſtianos* (advertit *Lactant:* (*f*) *& ſuam eſſe Eccleſiam Catholicam* putant, ex ſincera verbi Dei prædicatione, veritate doctrinæ & Sacramentorum uſu, prout *Melanhton, Brentius* & *Calvin:* atque ex alijs notis *Luther* : Omnes horum notæ ſpuriæ ſunt, genuinæ ſoli Romanæ Eccleſiæ competentes, quas Conſtantinopolitanum I. declaravit: Unitas ſcilicet, Sanctitas, Catholicitas & Apoſtolicitas.

XXII.

Unitatem figuratè licet, ſubſtancialiter tamen depingit *Hieron* : (*g*) *Qui extra hanc domum Agnum commederit profanus eſt, Si quis in Arca Noe* (Eccleſia Dei) *non fuerit, peribit regnante diluvio.* Ejuſmodi unitatis, ſi centrum inquiratur, *ſedes* (ait Petrarcha (*h*) *antiqua & vera, propria & publice utilis, & univerſo expediens Roma eſt.* Sanctitatem vero commendant doctrina & profeſſio, Eccleſiæ fundatores Sancti, miracula, *tantæ potentiæ* (verba

(*f*) Divinar Inſtit: l. 4. (*g*) Epiſt: 57. (*h*) Rer: Senil: l. 7. Epiſt: 1. (*i*) l. adver: Vigilant:

ba *Hieronymi* (*i*) ut etiam mentes duriſſimas edomarent, & ad fidem cogerent.

XXIII.

Quandonam vera Eccleſia cæperit vocari Catholica? num Apoſtolorum tempore? quod Apoſtoli ſuo Symbolo vocem *Catholicam* inſeruerint, an poſt eorum ætatem? ut ab hæreticis ſe Chriſtianos profitentibus opinante *Paciano* (*k*) alijſque Patribus ſecerneretur, ſub ancipiti hæremus: illud unũ nobis procomperto eſt, Eccleſiã Romanã, merito Catholicitatis charactere notari propter Univerſalitatẽ tum doctrinæ, tum communionis permanentis ac Succeſſivæ: Apoſtolicitatis autem ob auctoritatem, ſive miſſionem Miniſtrorum, illorumque ab Apoſtolis ad conſummationem ſæculi duraturam ſucceſſionem.

XXIV.

Theſaurus *Eccleſiæ Militantis*, ſunt bona illius ſpiritualia, merita, videlicet & ſatifactiones *Chriſti*, Jmmaculatæ Ejus *Matris*, & Sanctorum, a S. *Cypriano* relaxatio, ab alijs remiſſio,

(*k*) ad Sympon: Epiſt: 1.

condonatio, nunc poſt S. *Pacianum*(*k*) & *Gregor Papa* VIII. Indulgentiæ nuncupatus. Jnexhauſtum theſaurum iſtũ expillare conati fuère, poſt *Montaniſtas* (ſtupenda in tanto viro cæcitate) *Tertulianus*, *Waldenſes*, *Wicleff*, *Luther*, invidiæ facibus ſuccenſus, alijque ejus gregarij. Inviolatus tamen manet in Eccleſia, cui Chriſtus poteſtatem fecit diſpenſandi Indulgentias, utpote fidelibus utiliſſimas ac ſalutares.

XXV.

Solus autem *Papa* ac Epiſcopi de jure ordinario & divino, vel de ſpeciali privilegio ſimplices Clerici (*l*) ſunt diſpenſatores Indulgentiarum, gravi de cauſa concedendarum; quarum ratio formalis eſt vera abſolutio, ſimul & ſolutio: effectus (ſi abſolute & irreſtricte concedantur). omnis pænæ temporalis, ſive injunctæ ſive injungendæ, in futuro quoque ſæculo luendæ remiſſio: ſubjectum proprium, omnes fideles vivi, habentes propoſitum efficax faciendi dignos fructus Pænitentiæ; Nam vita functis, a juriſdictione Eccleſiæ alienis, non per modum abſolu-

(*k*) Epiſt:3.contra Novatian: (*l*)Lateranen: IV.Can.6

tionis juridicæ, ſed ſuffragij & impetrationis erogantur.

De Romano Pontifice.

XXVI.

MInisteriale ac viſibile interris caput *Eccleſiæ Chriſti* eſt Romanus Pontifex, non ſolum honoris & dignitatis, ſed etiam Juriſdictionis & Auctoritatis Privilegio inſignitus. *Jmperium Monarchicum* in univerſam Eccleſiam exercens, quem D. *Petri* Succeſſorem, inde contra Græcos *Schiſmaticos Waldenſes, Wicleff: Huſſ: Luther: Calvin:* omneſque eorum fautores deducimus, quod eodem munere, eodemque in loco, quo hic quondam eſt functus, ille quoque nunc fungatur. Nullimode namque dubitari poſſe adſerimus, quin ipſe D. *Petrus* fundata Antiochiæ Eccleſia, ſe Romam anno II. *Claudij* contulerit, ibique ſub *Nerone* glorioſiſſimam pro Chriſti nomine mortem oppetierit.

XXVII.

Tranſlato per *Conſtantinum* M. in Orientem Jmperio, poteſtas Romano-

Pontificia tranſlata non eſt, multo magis communis facta Conſtantinopolitano Præſuli, olim Heracleenſi Primati ſubjecto, reclamantibus Romanis Antiſtitibus *Damaſo* I. & *Gregorio* M. ſolutis Synodis *Conſtantinopolitana* I. & *Chalcedonenſi* Patriarchalem dignitatem adepto. Temerarie itaque *Photius* ſuperioritatem, aut ſaltem æqualitatem cum *Petri* ſede ambivit, in qua Univerſali poteſtate, non ab Apoſtolis, Concilijs, vel Electoribus, ſed à ſolo Deo conceſſa perfunguntur Pontifices.

XXVIII.

Quemadmodū ſedes Romana communis eſt, omnibus Petri Succeſſoribus, ita quoque privilegium nuſquam defuturæ in ea fidei, confirmandi in ipſa omnes fideles; quô ita potiuntur ac potiti ſunt, ut nullus Pontificum ex Cathedra decreta ad fidem moreſque Univerſalem Eccleſiam ſpectantia pronuncians, vel alicui ſervo Dei Apothèóſim decernens in errorē inciderit, non modo quum iſthæc cum generali Concilio, verum etiam dum ſolus ſtatuit: Hanc ob hæreditariam Romanæ ſedi

nfallibilitatem, uti *Honorium* a *Monothelismo*, *Joannem* XXII. ab errore *Millenariorum*, ita & reliquos Romanos Pontifices, errantiæ nota ab Hetorodoxis consperſos tueri, parati ſumus.

XXIX.

Sacerdos Magnus, Princeps Episcoporum, Hæres Apoſtolorum, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus (ſcribit *Eugenio Bernardus* (*m*) ſummus Pontifex, poteſtate indirecta tamen, in temporalia Regum ac Principum potitur, de cujus plenitudine debet, illorum leges Religioni Chriſtianæ diſſonas, ſaluti animarum obnoxias reprobare, tum ipſos Reges exauctorare, dominium temporale in alios tranferre, ſubditos à juramento fidelitatis; ſi id bono Spirituali ſubditorū ſit profuturū ſolvere: quid quid ſecius doceant Catholiciſſimi hac in parte deſerendi Theologi.

De Conciliјs.

XXX.

SYnedrion ab Hæbreis, *Synodus* a Græcis, a nobis *Concilium* a conciliando

(*m*) l. 2. de Conſiderat: c. 8.

liando vocatur, Præsulum Ecclesiæ congregatio, legitima auctoritate convocatorum, ad fidei controversias definiendas, fideliumque mores reformandos, alijsque de causis. Juris divini esse sacra Ecclesiæ Concilia sive Generalia, Nationalia, sive Provincialia, verba *Christi* loquuntur, (n) ex illis eruit *Chalcedonensis* Synodus, (o) S. *Cælestinus*, (p) quod quanquam verissimum profiteamur, verumtamen Synodos, (si de Generalibus quaeratur) simpliciter & absolute *Eclesiæ Christi* necessarios, inficiamur.

XXXI.

Quum autem Oecumenica Concilia congreganda, publica Christiani Orbis necessitas postulat, Pontificij muneris est ea convocare, convocatis per se, sive per suos Legatos præsidere: uti hactenus factum inficiabitur profecto nemo, qui vel leviter puros Ecclesiæ fastos percurrerit. Mentitur quippe *Brentius* qui *Constantinum*, *Magdeburgenses Centuriatores* qui *Eustachium*, *Caluinus* qui *Athanasium*, *Nicæ-*

no

(n) Math: 18. (o) Epla ad Leonem. (p) ad Concil. Ephesin.

no præfuiſſe adſtruxerunt Concilio, quippe quod exploratum ſit, hanc ſuo nomine gerendam provinciam *Silveſtrum* Romanum Pontificem demandaſſe *Hoſio Cordubenſi*, *Vito*, & *Vincentio* Presbyteris, referatque *Euſebius Conſtantinum* ipſum, non niſi annuentibus Epiſcopis ſedere voluiſſe.

XXXII.

Sacris intereſſe Synodis, ac jus in ipſis ſuffragij deciſivi habere, omnibus doctis fidelibus indiſcriminatim, etiam laicis, quamvis Superioris ordinis & conditionis ullimode competit, prout comminiſcuntur *Luther* & *Calvin*: ſed quemadmodum ad generalia noſtri Regni Comitia, ſolis electis atque Proceribus patet acceſſus, ita & ad Concilia Oecumenica, ſoli Epiſcopi ſunt de jure vocandi, Cardinales ex conſvetudine, Abbates & Religioſorum Ordinum Generales ex privilegio; quorum decreta Summi Pontificis confirmatione munita divina & Sancta oracula ſunt; meritoque *Gregorius* M. dixerit, ſe *venerari prima quatuor Generalia Concilia, ſicuti quatuor Evangelia.* (q)

XXXIII.

(q) Epiſtolar: l. 1. Epiſt: 24.

XXXIII.

Nilum Thessalonicensem Archi-Episcopum XIV. Sæculo Ecclesiæ florentem (r) secuti docent: Concilium Generale præstare Papæ, aliter Heterodoxi, aliter Catholici Sapientia ac pietate insignes, à quibus longo passu abscedimus, nihil siquidem majoris roboris ex Conciliorum auctoritate mutuari Pontificiam, hanc: imo illi supereminere, pro virili defendere parati sumus. Quæquæ enim reprobarunt Romani Antistites, reprobata manent quæ congregata confirmarunt, nobis sacra & Oecumenica sunt: XVIII. usque numerata, VIII. Orientalia, II. videlicet *Nicæna*, IV. *Constantinopolitana*, *Ephesinum* I & I. *Chalcedonense*. Occidentalia vero X. nimirum V. *Lateranensia*, II. *Lugdunensia*, *Viennense* I. *Florentinum* I. ac novissimum *Tridentinum* I.

De Sanctis Ecclesiæ Patribus.

XXXIV.

TAm arcto inter se nexu colligantur SS. Patrum & Ecclesiæ auctoritas in fidei & religionis negotio, ut alte-

(r) duob. tractat: contr. Pap. Primat.

alterum ſine altero nec eſſe, nec cogitari poſſit. Tametſi enim in ijs quæ naturali tantum lumine continentur, & circa pietatis diſpendium poſſunt à quolibet ignorari, non majoris ſit ponderis Patrum auctoritas, quam ratio ipſa, cui innititur, vel Philoſophorum ſecta, cui Sacramentum dixere, in illis tamen, quæ ad ſacrarum literarum expoſitionem, & fidei morumque doctrinam pertinent, pro certo habendum eſt: SS. Patres ſi unanimi ſuffragio in eandem convenerint Sententiam, firmum & inconcuſſum Theologo præbere Argumentum, ad fidei dogmata comprobanda, morumque regulas definiendas:

XXXV.

Unanimem illam Patrum conſenſionem certiſſimam fidei regulam omnibus retro ſæculis agnovere Patres ipſi, agnovit Eccleſia, imo & agnoverunt ex Hæreticis plurimi, ut facile conſtare poteſt, ex defenſione Patrum quam ſuſcepit *Scrivenerus* Anglicanæ Eccleſiæ Theologus in *Apologia contra Dallæum*. Neque putandum eſt, indu-

biæ

biæ Patrum fidei quicquam detrahere, vel libros Patribus ſuppoſititios, vel difficiles quaſdam, & ſpinoſas locutiones, vel nonnulla ex Scripturis loca aliter prolata, vel antologias aliquas mutationes & errata, quæ apud Patres aliquando notantur: Hæc ſiquidem & ſi in Patrum libris quandoque occurrant, nihilotamen minus ſarta eſt, & integra illorum in rebus fidei Auctoritas.

Auctores quorum ope Locos Theologicos compilavimus ſunt: Seraphicus Doctor Bonaventura, Vblis Scotusin Prologo Sentent: Bellarminus, Petavius, Melchior Canus, Petrus Annatus, Alexander Natalis, Huetius, Martinus Becanus, Boucat, Katzemberg, Thomas ex Charmes.

Ex Primo Libro Sententiarum De DEO Uno.

XXXVI.

NIhil eſt unquam quod magis ſe ſe omnium mentibus ultro ingerat, quam notitia illius, cujus *appellatio* (DEUS)

US) *nomen non est, sed rei inenarrabilis naturæ hominum insita opinio:* (*s*) quam opinionem sive ideam DEI (si Patres Platonicis dogmatibus inhærentes audiamus,) innatam esse, admodum probabile est: Deumque existere, natura ipsa adeo certa ac evidentia nobis suppeditat argumenta, quod tametsi nulla alia subesset ratio, hæc profecto non levioris momenti in Divinitatis testimonium videretur, quod DEUS ab ijs qui ignorare eum volunt & invincibiliter nequeunt, non possit negando auferri, nisi postquam cum humanitate virtutem exuerint omnem.

XXXVII.

Eapropter propositio hæc *DEUS est*, respectu intellectus terminos illius perquam perpendentis, *est nota per se* quo ad nos; *tanta quippe* (seraphice ponderat D. *Bonaventura*) *divini esse veritas, ut cum assensu non possit cogitari non esse, nisi propter ignorantiam, quid Nomen DEI importet.* (*t*) Inde non modo Tritheitæ, verum quicunque Politheistæ, sive plurium Divinitatum cultores, a posteris *Cham* longe ante *Mosen*

origi-

(*s*) Justin: M. Apolog: 2 (*t*) l. 1. dist: 8. Art: l. 9. 1.

originem trahentes, facili negotio refelli poterunt, trito illo Tertuliani (*u*) adagio: *DEUS si unus non est non est.*

XXXVIII.

Quemadmodum facili negotio ostendere est, DEUM esse, in sua ratione physica, unam, summam, ac perfectissimam substantiam, tam difficile explicare gradum differentialem constitutivum Essentiæ divinæ *Metaphisicè* acceptæ, *facilius* enim cum *Augustino* (*u*) *dicimus quid non sit, quam quid sit?* Verum si brevis aliqua DEI definitio proferenda foret, diceremus illam optimam esse, quam ipsum divinum oraculum effatur (*w*) *qui est, quia quid quid præter DEUM est*, (judice *Augustino*) *non omino non est, sed non summe est.*

XXXIX.

Jllud porro *esse à se*, sicuti primario ac principaliter divinam substantiam significat, ita omnium attributorum divinorum, formaliter in DEO contentorum, secundum se æqualiter perfectorum, scaturigo est; de quorum numero *simplicitas*, omnem à DEO materiæ fecem absterret, quam commen-

tati

(*u*) l. 1. contr: Marcion: (*w*) in Psa 85.

tati ſunt, *Anthropomorphitæ*, ac *Tertu-lianus*, qui quoque (ut teſtis eſt *Au-guſtinus* (*x*) *ipſum Creatorem DEUM, non eſſe niſi Corpus opinatur. Immen-ſitas* omnia univerſi ſpatia implet, adeo quod ſi per impoſſibile DEUS eſſet tantum eſſentialiter ſubſtantialitèr in Cælo, nihilominus operari poſſet, im-mediatione virtutis in omnibus Uni-verſi partibus. *Immutabilitas* omnem ſtabilitatem Intellectus, ac voluntatis divinæ, contra *Socinianos* ac *Vuorſtium* fundat.

XXXX.

Hæc aliaque Attributa ſive per-fectiones divinæ intenſivè infinita, quot quot tandem ſive XXII. cum *Bo-etio* ſive XII. cum quibuſdam nume-rentur, omnia ſunt idem in DEO, ubi non obviat relationis oppoſitio, ita tamen ut diſtinctionem aliquam inter ſe, & ab Eſſentia divina patiantur; Qualem autem? hic opus Scholaſtico-rum eſt. Quiſque in ſuo ſenſu abun-dat. Nos ij ſumus, qui inter ea, di-ſtinctionem *Formalem ex natura rei* aſ-ſerere, & ſubtilem mentem *Doctoris*

Martia-

(*x*) Exod. 3.

Mariani, alienam ab errore *Gilberti Porretani* vindicare, tanquam pro Aris & focis domeſticis decertando, parati manemus, ac proinde probare, ſuo ſen- deceptos *Dionyſium Petavium* (y) diſtinctionem Scotiſticam parum aut nihil diſcrepare ab opinione *Gilberti*, *Ludovicum Thomasſinum* divinæ ſimplicitati inſultare adſeverantes.

De Viſibilitate ac Inviſibilitate DEI.

XXXXI.

IN viſibilem DEUM, ſimulque viſibilem, *nunc per ſpeciem & in ænigmate, tunc autẽ facie ad faciẽ* (z ſacræ paginæ refferunt, certe non in eum modum quo ſe ipſos alioſque homines conſpicimus, ut *Eunomiani*, IV. ſæculo teſte *Epiphanio*, (a) non ſola virtute naturali intellectus noſtri, ut *Beguardi* & *Begvinæ*, ſæculo XIV. ſub *Clemente* V. damnati ſpondebant: tam enim oculo corporis abſolute, (quid quid Philoſophis ſuadeant *Maignanus Philoſephus*

(y) Epiſt: 190. ad Optat. (z) 1. Corinth: 13. (a) hæreſi 76.

losophus (*b*) *Antonius le Grand*, (*c*) quam oculo mentis naturaliter DEUS invisibilis est, imo neque creabilem existimamus aliquam substantiam intellectivam, cui connaturalis sit, intuitiva sive facialis DEI visio.

XXXXII.

Oppositum ex diametro *Eunomianis* offenderunt errorem Armeni VII. sæculo ac Monachi in Græcia duce *Gregorio Palama*, Deum lucem habitantem inaccessibilem videndum ab intellectu de super adjuto in Essentia, negantes; sed falso, pollet quippe mens nostra indita sibi facultate, superno lumine elevabili, ad contenplandum Creatorem suum ut in se est, ac ita revera *Angeli* & Beati *invissibilem Ejus naturam, cum vult & sicuti vult* juxta *Augustinum* (*d*) intuentur. Quid quid vero disputationis æstu abreptus scripserat *Chrysostomus* contra *Eunomium*, *Hieronymus* ac *Theodoretus*, ne hilum quidem *Palamitarum* errori prælusisse a nobis creditur, contra *Gabrielem Vasquez* (*e*)

XXXXIII.

(*b*) Philosoph: Natural: c. 33. (*c*) p. 3. c. 9. (*d*) Epist. 112. (*e*) dispt. 37. c. 3.

XXXXIII.

Quod immortales facti pertingentes usque ad Deum desideramus videre intuitive, id mortalitate indutis *Mosi*, *Paulo*, ex Scripturarum oraculis, (*f*) Seraphico *Patri* nostro, ex testimonio D. *Bonaventuræ*, (*g*) concedunt bene multi, nos ijs fidem negamus, nulli quippe puro homini communem nobis vitam agenti, etiam ad brevissimum tempus facialis illa visio permissa est; neque *Enoch* & *Eliæ* Paradisi colonis ex *Hieronymo*, indulgetur.

XXXXIV.

Commentitia est *Millenariorum* de regno Christi, cum justis animabus in terris post generalem resurrectionẽ sententia, tum delirantis *Cerinthi*, tum exigui judicij *Papiæ* Hierapolitani Episcopi, tum denique *Vigilantij*, ac ejusdem erroris, aliorumque sutoris *Martini Lutheri* & *Joannis Calvini*, neminem justorum uitâ functorum ante Judicij diẽ admittentiũ, in Cælũ cum statim ac animæ justæ nullâ maculâ conspersæ a corpore solvantur, ad claram DEI visionem assumuntur; quod

(*f*) Numer: 12. (*g*) in Prolog: Jtinerar:

etiam nobiscum *Augustinus*, *Ambrosius*, *Bernardus*, promptuaria licet ac receptacula quædam animarum memorantes senserunt.

XXXXV.

Quæ vero venialibus adhuc culpis irretitæ e vivis decedunt, aut plenarie pro mortalibus jam dimissis, in hac vita non satisfecere, in locum expiationis detruduntur, quem Purgatorium dicimus. Contra ac perperam primus omnium *Aetius*, *Vualdensibus* ansam tribuens, *Albigensibus* veteribus hæreticis, ac novat ribus illum negandi, tanquã præcipuũ fidei dogma, locũ hunc purgationis extare, igne sensibili torqueri, in eo animas non metu gehennæ aut desperatione (ut male scripturierat *Lutherus*) propugnamus.

XXXXVI.

Animarum sola cum originali labe decedentium statum quod attinet, litigiosa satis circa eum in Christiana Ecclesia controversia, & olim fuit, & hodie est, & fortasse etiam in posterum erit. *Vincentius Victor* in Regnũ Cælorum ituras notante *Augustino* (*b*)

(*b*) de Orig: anima l. 1. c. 9.

Pelagiani eodem teste, loco a Regno Cælesti semoto vita æterna beataque fruituras, *Catharinus Pighius, Molina, Salmeron*, Cardinalis *Sfondrati*, in naturali beatitate, magnaque omnium bonorum, cum ad animam, tum ad corpus pertinentium affluentia post extremũ Judicij diem super terrã perpetue victuros parvulos: *Joannes Gonettus*, alijque Thomisticæ Scholæ Theologi, nullam pænam sensus, imo nec ullam ex pæna damni tristitiam passuros: Quid referam eos, qui baptismo aquæ non regeneratos, utramque pænam DEO in inferis daturos viritim persvadere nituntur alijs: Postremum est, quod non hallucinando dicimus, infantes non renatos pro reatu peccati Originalis sola pæna damni cruciari.

XXXXVII.

Alterum ab intellectu creato visionis DEI principium lumen gloriæ nemo ambigit, illud Græculis quibusdam lux increata a divinitate promanans, ac distincta, (quod alias monuimus) *Ludovico Thomassino* (i) ipsa Spiritus S. Persona, specialiter mentes be-

atas

(i) l. 6. c. 6.

atas collustrans. *Maignano* (*k*) ac post eum nupernis Theologis, Divina essentia conjuncta cum intellectu creato objective mentem modificans & afficiens, visum est esse: quamquam aliud non sit, nisi supernaturale quoddam donū ab anima distinctum, effective cum facultate intellectiva concurrens ad visionem intuitivam efformandam, ita tamen, ut absque eo intellectus creatus aliquo alio supernaturali concursu, in absoluta DEI potentia reperibili fretus, ad videndum DEUM elevari possit.

XXXXVIII.

Lumine gloriæ ac intellectu tanquam caussa principali, vim mutuā effectivam exerentibus *pro mercede fidei nostræ, quid videbimus?* (respondet sibimet ipsi *Augustinus* (*l*) *nisi Deum & omnia illa quæ nunc non videmus credentes:* Et ita Beati vident formaliter & distincte ipsam DEI essentiam, Personarum Trinitatem; Attributa omnia, secundum proprias eorum rationes, Creaturas denique tanquam in medio prius cognito. Credibile nihilominus

(*k*) de hær: n. 88. (*l*) Philo: Sacr: c. 15. prop: 7.

nus arbitramur, extra præſentem rerum viciſſitudinem fieri poſſe, ut Eſſentia divina ſine Attributis & Perſonis, alterum Attributum abſque altero, una Perſona ſine alia non ſibi correlativa, conſpici queat a Beatis.

XXXXIX.

Proprietates viſionis beatæ delibantes, advertimus, æqualitatem & inæqualitatem ejus ex Evangelio (m) lippis & tonſoribus patere, ſolis *Pſeudoreformatis* poſt *Jovinianum* IV Eccleſiæ ſæculi erronem inviſas. Cauſa moralis inæqualitatis ſunt merita, quæ *qui parce ſeminat, parce & metet.* Cauſa Phyſica nedum eſt inæqualitas luminis gloriæ, verum & perfectionis tam ſpecificæ, quam individualis intellectus beati, cujus operatio ex una, voluntatis parte ex altera. viſio nempe intuitiva, & amor fruitivus, Beatitudinem formalem ac adæquatam conſtituunt.

L.

Reliqvum tandem eſt, ut in Cælis gloria & honore coronatis a DEO, in terra cultus debitus Eorum Sacris exuvijs, ac Jmmaginibus decernatur:

Quan-

(m) l. 20. de Civit: Dei c. 21.

Quanquam enim de fide ſit cultum Sanctis deberi, fidei tamen non intereſſe, quo nomine is appelletur, aut appellari debeat indefinitum hactenus. Praeeunte *Juliano Apoſtata* primo cultus *Sanctorum* juxta *Cyrill: Alexandr:* (*o*) oſore, nemo ejuſmodi furfuris, eo dementiæ proceſſit, qui ſe parem in honore & ſanctitate *Petro Paulo &c. faceret ut Luther :* (*p*) ſanius quidpiam ſuo Pſeudo-Magiſtro ſenſere diſcipuli in Confeſſione *Scotica Helvetica Vvitembergica*: Noſter vero ſenſus Catholicus, ac ſubmiſſima in Divos propenſio ſincere enunciat: Cultum Sanctorum in terris licitum ac cum primo præcepto cohærentem; Invocationem Eorundem rectam piam & utilem non injurioſam advocato noſtro apud Patrem *Jeſu Chriſto*: Denique Sacrarum Reliquiarum, Jmmaginum, aliarumq; id genus rerum honorem, non modo religioſum, verum ab omni Jdololatriæ nævo (quem in nos univerſim effutiunt *Jconamachi*) abhorrentem eſſe.

De

(*o*) l. 6. (*p*) in Epiſt; 1. Petri:

De Intellectu & Scientia DEI.

LI.

DEUS ſcientiarum Dominus, Sapientiæ dux & Sapientum emendator, cognoſcit ſe ipſum intuitive, ac comprehenſive, unico & ſimpliciſſimo intuitu; ita quidem (ſi pro modulo mentis noſtræ loquamur) quod ſola Eſſentia divina ſecundum ſe præciſe ſit Objectum formale motivum & primario terminativum Intellectus divini, Objectum vero quaſi ſecundarium increatum ſunt Attributa divina, ſecundarium creatum ſunt omnes creaturæ cognoſcibiles, tam ſecundum eſſe eminentiale ac Virtuale quod in Eſſentia Omnipotentiaque DEI habent, quam quod habuerunt in ſe ipſis principiative ab Intellectu divino. Hoc dum cum *Venerabili Scoto* ſentimus, procul ſumus ab errore *Wicleffi* perperam à *Cajetano*, alijſque, nobis appicto.

LII.

Cognitionem illam ſive Scientiam DEI nulla res ſive poſſibilis ſive futura, ſive præterita ſive extans nunc ſubterfugit, pro quarum rerum tanquã obje-

objectorum diverſitate varie partitur: Præcipua partitio illa eſt, quam communiter Scholæ faciunt: *Simplicis intelligentiæ & Viſſionis:* Prior res attingit pure poſſibiles, ab omni exiſtentia avulſas, hæc; in aliqua temporis differentia exiſtentes, quibus nullam neceſſitatem ſive inevitabilem eventum infert: Optime de futurorum contingentium præſcientia cecinit Boetius (q) *hæc ſi ad divinam notitiam referantur neceſſitatis nexibus ſunt abſoluta:* Peſſime vero *Gnoſtici, Huſſitæ ac Wicleffiſtæ*, ex præſcientia contigentium neceſſitatē, & libertatis creatæ interritum inferebant.

LIII.

Quo autem in medio futura abſoluta libera cognoſcat intellectus divinus? implacabile eſt Scholarum diſſidium; certe non in cauſis ipſis, non in ſuis Jdeis, non in præſentialitate eorum ab æterno, non in decreto antecedenti prædeterminante ſive intrinſece, ſive extrinſece voluntatē, hæc enim quodvis prædeterminationis Phyſicæ jugum in agendo reſpuit: Jtaque medi-

um

(q) l. 5. de Conſol: Proſ: ult:

um aptiſſimum ac ſufficientiſſimū DEO cognoſcendi futura ex voluntate humana pendentia eſt decretum Concomitans, ſeu decretum concurrendi cum illa in tempore ad ejus actus liberos.

LIV.

An inter duplicem iam prætensā ſcientiam divinam, admittenda ſit *media* quædam *ſcientia* reſpectu futurorum liberorum conditionate a nobis pendentium? accerrime olim ſub *Clemente* VIII. & *Paulo* V. diſceptatum eſt, nihil quidquam hac de re Magiſtra veritatis definiente Eccleſia. Celebratur quidem a ſuis fautoribus, veluti medium quoddam divinitus inſpiratum ad convellendos hæreticorum errores circa hominis cum divina præſcientia, & efficaci gratia libertatis conciliationē, verum quia inſpirationis Scientiæ mediæ nullum veſtigium in Scripturis & Patribus, merito Intellectui divino deneganda eſt, in ejus locum ſubſtituenda decreta reſpectu iſtorum futurorū abſoluta quidem exparte DEI decernentis, ſed conditionata ex parte rei decretæ, ac objecti voliti.

LV.

FAcultatem intellectivam in DEO, naturâ suâ consequitur facultas altera, quâ DEUS se Ipsum primario, comprehensive propter suam bonitatem essentialẽ amat, necessario simulq; libere, libertate essentiali creaturas vero tam existentes quam futuras libere: Quâ, *omnia quæcunque, voluit fecit* (r) absque ulla potentia executiva a *Durando* immaginabili. *Si habet causam voluntas Dei* (invehitur contra *Manichæos Augustin:* (s) *est aliquid quod antecedat voluntatem DEI, quod nefas est credere. Qui autem dicit, quare voluit facere cælum & terram? Majus aliquid quærit, quam est voluntas DEI: nihil autem majus inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, & id quod non est non quærat, ne id quod non est inveniat.*

LVI.

Quum Voluntatem DEI rerum omniũ caussam statuamus, absit ut cum *Manichæis, Florianis, Seleucianis, Hermianis*

(r) Psal: 113. (s) lib: de Genesi: c. 2.

mianis, mala culpæ in eandem refundantur, *quoniam non DEUS volens iniquitatem est:* (*t*) Quanquam mala naturæ, pænæ, atque in universum defectus & corruptiones naturales ad Deum ut Auctorem necessario refferenda sint, quatenus ea vult, tum propter justitiæ ordinem ac regimen Universi, tum propter bonum aliquod majus ijs bonis, quibus illa mala privant. Ut namque *bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona & mala.* (*u*).

LVII.

Et sicuti per Voluntatem operatur, ita per Providentiam *a fine usque ad finem, fortiter & suaviter disponit omnia* (*w*) quæ in Cælo, quæ in terra ad minima usque, abjectissimaque insecta moderatur: quare omnino cæcutisse censendi sunt: (missis Ethnicis Philosophis,) aut penitus providentiam de medio tollentibus, aut cum *Aristotele* ad Lunam tantum coarctantibus, ex male intellectis Sacris literis, quod ostendit *Ambros:* (*x*) *Clemen: Alexandr:* (*y*) *Gnostici. &c.* Atque etiam graviter erraſſe

(*t*) Psal: 5. (*u*) Eccl: 39. (*w*) Sap: c.5. (*x*) l. 1. offica c. 13 (*y*) l. 5. Stromat:

errasse dicendus est *Durandus*, (z) immediatam Providentiæ divinæ operationem in singulis denegans. Si enim (arguit *Ambros: citat:*) *non est injuria & probrum minutissimas quasque res* (DEUM) *fecisse, & conservare, multo minus oprobrium ipsi, eas factas regere.* Unde sicut in Ordine naturæ omnia providet immediatè, ita in ordine gratiæ, habens voluntatem veram ac sinceram salvandi omnes, omnibus providit auxilia sufficientia ad salutem, etiam *Calvinianis* ac *Jansenianis* ea mordicus respuentibus.

LVIII.

Præcipuos inter hujus divinæ providentiæ actus, principem locum obtinet Prædestinatio creaturæ rationalis ad gratiam & gloriam, sive, rem acu tangente *Augustino*, (a) *præscientia & præparatio beneficiorum DEI, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Errarunt ergo *Manichæi* cum *Priscillianistis*, Prædestinationem a constellatione & temperamento auspicantes. Erravit *Origenes*, *Platonem* secutus, animas simul creatas, earumque aliquas,

pro-

(z) in 2. dist: 1. qu: 1. (a) l. de dono persev: c. 14.

propter merita prævie ad infusionem in corpora, & Adæ peccatum elicita prædestinari, cæteras vero ob crimina illo tunc patrata, reprobari, existimans. Errarunt *Pelagiani* & *Semipelagiani* docentes, quosvis hominûm ad gratiam & gloriam prædestinari ex bonis operibus solis naturæ viribus ponendis. Errarunt denique *Luther:* & *Calvin:* tum voce, tum scripto, prædestinationem necessitantẽ aliam ad vitam, aliam ad mortem proclamantes; meritoque primi *Prædestinatiani* nuncupandi. Enim vero quæ de hæresi *Prædestinatiana* a *Genebrardo* (*b*) *Baronio* (*c*) *Sigeberto* (*d*) *Sirmundo* (*e*) Alexandro Natali (*f*) narrantur, sublestæ fidei sunt; & Lucidus Presbyter coriphæus illius hæresis, palinodiæ libellum contexuit, ad Concilia *Arelatense* ac *Lugdunense* transmissum, & in Monasterio *Adrumentino* Augustino superstite, *Semipeligiana* verius, quam *Prædestinatiana* secta exordium sumpsit, ab eodem nusquam *Prædestinatianis* favente, confutata.

LIX.

(*b*) in chron. (*c*) ad ann: 490. (*d*) ad ann: 415. (*e*) l. de hærel: Prædest: c. 1. (*f*) Hist: Eccl: Sæc: 1. Art: 10.

LIX.

Quam facile eſt circa Prædeſtinationis abyſum naufragantes, facem præferentibus Patribus ſuffocare, tam ſummoperè operoſũ causã illius aperire Cumque certum ſit hominem lapſum non prædeſtinari ad gratiam vel ex prævifis meritis per ſolas vires naturales comparandis, vel ex prævia fide a nobis initium ducente, de prædeſtinatione ad gloriam acriter diſceptatur ſit ne ante vel poſt præviſa merita? Totum id imperſcrutabile reliquit Apoſtolus (g) *O! altitudo inquiens ſapientiæ & ſcientiæ DEI: & quis novit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? Ideo* (ſubtiliter præmonet *Ublis Scotus*) *ne ſcrutando de profundo, eatur in profundum, eligatur quæ magis placet, dum tamen ſalvetur libertas divina, ſine aliqua injuſtitia, & alia quæ ſalvanda ſunt, circa DEUM ut liberaliter eligentem*. Optioni noſtræ relicti ac præmuniti, electionem efficacem Prædeſtinatorum ad gloriam, ſtatuimus factam ex præviſis meritis, quibus movebatur DEUS, ad eos præ alijs eli-

gendos

1. art: 10. (g) ad Epheſ: 1.

gendos, & ad æternam beatitatem destinandos.

LX.

Patefacto Prædestinationis divinæ arcano, cujus effectus recensentur (*h*) Vocatio, Justificatio, & Glorificatio: reprobationis sive præparationis pænæ æternæ, ob prævisa peccata irrogandæ, secretum aperiendum superest. Cohærenter ad prætensa, reprobationem *negativam* DEO denegamus, quam tametsi rigidiores quidam Theologi propugnent, D. Petrus (*i*) pessumdat: *Patienter agit propter vos nolens aliquem perire. Positivam* autem, sive actualem exclusionem a gloria, pænæ æternæ inflictionem, non nisi post prævisa finalia hominum demerita contingere, sacrosancte profitemur. Quia *bonus est DEUS*, (exclamat *August:* (*k*) *justus est DEUS potest aliquos* (absolute) *sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Blaspheme idcirco grex *Calvinianus* suo Pseudo Magistro duce, reprobos hominum, Angelorumque sola DEI voluntate, indepen-

(*h*) Rom: c.8. (*i*) Epist: 2. c.3. (*k*) l.3. contr Julian: c.18.

dependenter a prævisione cujuscunque peccati tam actualis, quam Originalis, flammis æternalibus adjicit, execrabiliter pravi homines, ut suis passionibus indulgeant, nihil esse post hanc vitam pro peccatis timendum autumant.

De DEO Trino.

AUgustissimum omniũ Fidei nostræ princeps Trinitatis Mysterium in individua DEI natura, non unam Trinominem ut effutierunt, post *Praxeam*, *Noetum*, *Sabelliani*, *Sociniani*, pessimè *Fratrum Polonorum* nomine donati a quibusdam, cum Lelius Socinus, & Faustus ejus nominis ac impietatis hæres regio edicto de libero Regno fugati, ab impudentissimo hominum *Michaele Serveto* in suis dogmatibus redivivi facti, circa Annum MDXXXI. apud Transylvanos adusque, nusquã in Polonia vigeant: sed tres Personas divinas realiter distinctas ac subsistentes complectens, nullimode tres Deos arguit, quemadmodum sinistrè inferebat, *Philopponus Alexandrinus*, *Tritheitarum*

rum

rum parens. Quod Myſterium mirabiliter quidem, at re ipſa exiſtere, nonnulla Veteris Teſtamenti monumenta teſtantur, & luculentiſſime probat ſeptimus ille Joannis verſiculus (*l*) *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater Verbum, & Spiritus S. & hi tres unum ſunt.* Hunc genuinum eſſe, authenticum, Canonicumque non ſuppoſitium, vel margini primo, dein textui aſſutũ *Socinianis*, alijſque moroſioribus *Criticis*, indigitare ſatagimus. Symboli vero, Quincunque vult ſalvus eſſe &c. vulgò Athanaſij nuncupati Authorem D. Athanaſium fuiſſe, non probamus.

LXII.

Poſita incomprehenſibilis illius Myſterij revelatione ac fide, ut ut ſuaderi poterit, nuſquam vero humanis argumentis evinci. Neque *Plato* laudabili auſu, mirabili ingenio, inimitabili eloquio quæſiviſſe, prodidiſſe, indiviſam Trinitatem credi oportere docuiſſe, depredicandus cum *Claudiano Mamerto*; Neque *Zoroaſtes Triſmegiſtus Raymundus Lullus* ex æquiparantia, *Sybillæ* denique, naturali ratione agnoviſſe

(*l*) 1. c. 5.

visse dicendæ; ex quo támen insulsè absit inferre cum *Antitrinitarijs*, Triadem SS. rectæ rationi repugnare, quũ ejus imo revelatio explicita ipsis Judæorum Patriarchis, Prophetis, alijsque sanctitate conspicuis viris concessa fuerit, ab ijs imperfecta & subobscura traditio in Judaicum vulgus dimanata, cum quo vel per consvetudinem, vel Sacri Codicis lectionem, Græcos Philosophos credimus accepisse, quidquid in eorum scriptis Trinitatem redolet.

LXIII.

Ad ingerendam aliquantulum intellectui fideli, cognitionem trium in unitate divinarum Personarum, admittere opus est in DEO processiones immanentes unius Personæ ab alia, abrasis quibusuis imperfectionibus, dependentiæ, mutationis, ac diversitatis inter producens & productum, quæ imperfectiones cum non subaudiantur, in voce *principium*, *Latini* Patres, *Græcis* in hoc solertiores, Patrem congruentius dixere *principium*, quam caussam Filij, ab illo geniti non adoptione & gratia, sed generatione & natu-

ra. Quam ob rem, Filius ille est Deus verus, de Deo vero, Patri *hömousion*, idest consubstantialis, non *homoiusion* tantum, seu similis in natura. Quod vocabulum a Sacrosancta *Nicæna* Synodo, adversus *Arianos*, aliosque infensissimos divinitatis Verbi hostes, divino plane consilio definitum, symbolo consecratum, nedum luculentissimis sacrarum literarum testimonijs comprobatum, verum etiam constanti venerandæ Traditionis præsidio fulcitum, quamvis nonnullos *Ante-Nicænos* Patres, *antequam in Alexandria, quasi dœmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam, & minus caute locutos fuisse* cum D. Hier: fateamur.

LXIV.

Inconcussæ isti de Consubstantialitate Verbi fidei, nuntium remisit usquam, *Liberius* Romanus Pontifex, dū exilio, ac ærumnis compulsus non secundæ *Sirmiensi* formulæ prorsus blasphematoriæ, non tertiæ vix tollerabili, cum substantiæ vocem subticeat, sed primæ in Thracia exaratæ catholicè à D. *Hilario* explanatæ calculum addidit.

dit. Hinc *Dyonisio Petavio*, *Nicolao Fabro*, *Blondello* alijſque adſentiri haud poſſumus, qui præmiſſum Pontificem, ceu Ariana labe polutum traducere non verentur, qua pariter lue, minimè ſincerè ac propriè, dici poſſe contaminatos *Ariminenſis* Concilij Patres aliquos, formulam fidei Niçeæ Thraciæ concinnatam, exuberanti œconomia admittentes arbitramur.

LXV.

Quæ Ariani de Verbo eadem de Spiritu S. poſt *Montaniſtas*, *Macedoniani* recoxerunt, a quibus non degeneris animi noviſſimi *Pneumatomachi Sociniani* eum non niſi, accidentalem DEI virtutem & efficaciam eſſe adfirmantes, quibus anathema dicendo, Spirit: S. verum eſſe DEUM, Perſonam per ſe ſubſiſtentem, Patri Filioque conſubſtantialem, cum Catholica Eccleſia propugnamus. Nec tantum a Patre prout adverſus *Eunomianos* Concilium *Conſtantinopolit:* in Symbolo declaravit, verum etiã a Filio, tanquã ab unico principio unica ſpiratione procedere ſuſtinemus, contra Michaelẽ Cærulariũ, ejuſq;

versipelles gregales, quorum pestis ne latius serperet, particulam *Filioque Constantinopolitano* Symbolo jure ac merito ab Ecclesia additam adfirmamus, quo autem tempore præcise, Romana ac Universalis Ecclesia, hanc additionem probaverit potius doceri volumus quam temere definire.

LXVI.

Divinarum Processionum Verbi per dictionem, Spiritus S. per spirationem activam, potissimum discrimen inde liquet, quod sola Filij DEI productio sit vera generatio, non autem Spiritus S. cujus intimam & immediatam caussam quam sibimet quærenti, *Cur Spiritus S. non sit Filius, cum tamen à Patre exeat?* (m) profert August, *Exit enim non quomodo natus*, idest per modum naturæ & necessario per intellectum, *sed quomodo datus* seu libere per voluntatem. Ex cujusnam porro Objecti cognitione & amore procedat, utraque is Persona? quadruplicem eamq; plurimùm dissitam resolvendo ineunt viam scholastici, nostram mordicus arripimus, in qua generatio Verbi, & spiratio

(m) l. 5. de Trinit: c. 9.

ſpiratio Spiritus S. non ſupponunt amorem & cognitionem creaturarum, tam futurarum quam poſſibilium, nec ex illis tanquam ex objectis fæcundantibus intellectum & voluntatem divinã oriuntur.

LXVII.

Apageſis dicendo culpandos e Schola Theologos, tanta doctrinarum varietate divinas proceſſiones innodantes, quum mirum in modum conducant, ad magis percipiendam rationem cur divinæ Perſonæ realiter inter ſe diſtinguantur. Et quidem diſtingui ob proceſſionem unius ab altera, unanimis noſtrûm ſenſus eſt. Sed quid foret ablata originis relatione, inter Filium & Spiritum S. caſſus labor, & & inutilis logomachia judicatur ab Ariminenſi Theologo, non proſpicienti D. Auguſtinum ſimilem hypotheſim impoſſibilem texentem, (n) *Si Pater Filium non genuiſſet, nihil prohiberet eum dici ingenitum.* Ut ergo græculi ſermonis de Perſona Spiritus S. nec caput nec pes appareat, ejuſmodi hypotheſi adſentimur; Etſi Spiritus S.

non

(n) l. 5. de Trinit: c. 6.

non procederet a Filio, revera tamen ab eo diſtingveretur realiter.

LXVIII.

Reliquum ſupereſt ut quædam de ſubſiſtentiarum, & relationum divinarum exiſtentia, numero & perfectione diſſeramus, Atque ſubſiſtentias quod attinet, tres ſunt relativæ in divinis Perſonis, imo vero acceptô ſubſiſtentiæ vocabulô pro modo exiſtendi per ſe, & excludente dependentiam ab alio extrinſeco in exiſtendo, convenit illa, naturæ divinæ ut a perſonalitatibus præciſæ. Relationes tandem Originis, Perſonarum divinarum conſtitutivæ, revera reales ſimpliciter, ſi accipiantur pro forma nullam porſus dicunt perfectionem, neque finitæ ſunt neque infinitæ.

Integro primo Sententiarum libro, ac ſequentibus concinnandis, copias rerum nobis præbuere primi Scholæ noſtræ Theologi, Bonavent: Scot: Maſtrius aliique fideliſſimi Scotiſtæ, ſupplementum fecere extranei clariſſimi Theologi, Tuornely, Boucat, Berti, Witaſſe Gujllelm: Eſtius notis critico-Theologicis illuſtratus alijque minoris notæ. In

In ſecundum Librum Sententiarum De DEO Creatore.

LXIX.

UNiverſi ejuſqe partium Studium, una eſt ex laborioſis illis occupationibus Philoſophicis, quibus DEUS tradidit homines exercendos, ita quidẽ ut quantumcunque in ea adlaborent, quæ veteres ea de re excogitavere, ſæculorum ſucceſſu evertant, novas hypotheſes confingant, amplius ſibi laborandum eſſe ſentiant. Plerique Sacrum *Coſmographum* ad ſuum detorquent ſenſum, loquentem inducunt Moſem, veluti transformatum in *Ptolomæum, Tichonem, Copernicum Polonum, Carteſium.* In primo capite *Geneſeos* ſinguli creati mundi ſyſtema videntur ſibi videre, uti liber titulo *Carteſius Moſaiſans* teſtatur. *Hanc occupationem peſſimam, dedit Deus filijs hominum ut occuparentur in ea,* (n) ſartam tectam habentes *Philoſophis*, adverſus quaſvis Hæreticorum varietate propemodùm innumeras

(n) Eccl: 1.

ras opiniones de rerum creatione, Catholicum judicium ferimus ex *Concil: Lateranen:* IV. (*o*) *Unum universorum principium Creator DEUS... Sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, Spiritualem & corporalem,* non tamen ita simul, ut una die, aut momento totum opus mundi corporei absolverit, sed sex continuis, distinctisque diebus, non metaphoricis, quales post *Philonem* platonizantem August. (*p*) Thomas (*q*) &c. statuunt.

LXX.

DEUM Universi Opificem mediantibus creaturis tanquam suis administris eo pacto dogmatizavit *Arius:* Deum Patrem ante omnia fecisse sibi Filium, ac deinde per Filium creasse Spiritum S. per utrumque vero reliquam omnem produxisse creaturam, ejusdem farinæ erat philologia *Avicenæ* Philosophastri. Totum id pestiferum, *primogeniti diaboli* (talibus compellat Dogmatisten illum S. *Plijcarp:* M.) virus, nihil enim potest esse caussa tum prin-

cipa-

(*o*) Cap: Firmiter: (*p*) l. 11. de Civit: Dei. c. 1. (*q*) in Opusc: 15. &. 17.

cipalis, tum instrumentalis crationis, nisi virtutem habeat infinitam, proinde quævis creatura sua conditione respuit, ad esse instrumentum physicum activum divinæ virtutis, respectu termini principalis actionis creativæ.

LXXI.

Missis Angelis (de quibus paulo infra) termini creationis sunt sexdialia opera, verno tempore non autumnali à DEO condita, juxta seriem à *Mose* graphicè conscriptam, inter quæ die tertia plantatus Paradisus voluptatis locus erat corporeus, non allegoricus; probabilius ut contendit inter varias eruditorum opinationes clarissimus *Calmet* (r) situs in amæna planicie, montibus Armeniæ cincta, in medio quatuor fontium, Tygris, Euphratis, Araxis & Phasidis, deletus aquis diluvianis, super montes Armenos Arcam Nòé devehentibus.

LXXII.

Universæ creaturæ nomine signatus homo, imago ac similitudo Creatoris sui ex græca lectione (s) in statu naturæ puræ creari potuit: Etenim contra

(r) Comment: in Gen: 2. (s) Sap: 5.

contra *Cornelium Jansenium* præsertim, qui integris libris suis quos de illo statu inscripsit, *Michaelis Baij* doctrinam refricare, Catholicis Scholis obtrudere non erubuit, ut à proscriptione S. *Pij* V. *Gregor:* XIII. & *Urbani* VIII. se se specietenus tueretur, quibus vis elusorijs conjecturis usus: catholicam propositionem defendimus, qua possibilis puræ Naturæ status profertur. In eo constitutus homo, concupiscentiæ appetitu in genere, ut rationalem simul & sensitivum complectitur, atq; omino naturalis aliqua facultas est, ac conditio naturæ humanæ percitus fuisset, ijsdemque stimulis, queis etiamnum divexatur. Jta tamen auxilium aliquod indebitum non expostulasset tanquam sibi necessarium, vel ad præcepta adimplenda, vel ad tentationes retundendas, aut ad DEUM amore super omnia prosequendum.

LXXIII.

Præadamitarum systema duobus larvatis libris decursô sæculô ab *Anonimo* quodam divulgatum, somniantis animi phantasmata potius quam veritatis

ritatis jota ſunt, quum Adam primus *homo rectus, ac per hoc voluntatis bonæ* enodante *Auguſtino* (*t*) ita a DEO conſtitutus fuerat, ut tanquam Princeps *præeſſet piſcibus maris, & volatilibus cœli, et beſtijs univerſæque terræ*, nec non *aſtra cœli* eſſent ipſi *in miniſterium*, omnium quoque ſane intelligentiâ, ſapientiâ, cognitionêque tum naturalium, moralium, tum ſupernaturalium prædives. Ab hoc Protoparente noſtro, tam peccati quam juſtitiæ originariæ contrahendæ, par ſemper fuit ratio. Js ſiquidem, ſicuti peccato totam poſteritatem vitiavit, ita juſtitiam pro omnibus acceperat. Hac de re cum predeſtinatio totius humani generis non niſi temerè adſtrui quæat, cũ *Auguſt*: (*u*) contra ac ſentiat *Anſelm*: (*w*) contendimus, ſub innocentiæ ſtatu ſolos electos natos fuiſſe, non tamen in originali juſtitia confirmatos, niſi poſt ſuperatam primo ingruentem tentationem.

LXXIV.

Radices figente ſtatu Innocentiæ in

(*t*) lib: 14. de Civit: Dei c. 11. (*u*) lib: citt: c. 10. (*w*) lib: 1. cur Deus homo.

in hominibus, per usum nuptiarum procreandis, locum tenuisset aliquod peccatum leve, quale de Aeva se se dedante colloquio calidioris serpentis, cunctis animantibus terræ, haud immerito quisq; suspicari poterit præeunte August: (x) *homo inexpertus divnæ severitatis, in eo falli potuit ut veniale crederet esse commissum:* nusquam mors: quam tantum ex comminatione DEI, ne Adam de vetito ligno comederet, *in quacunque, die comederis ex eo* (ut *Symmach:* vertit teste *Hieron:*) mortalis *eris,* colligimus; ac propugnamus contra *Pelagianos* nequaquam vel in ipsum Adam, vel in posteros ex necessitate naturæ grassari potuisse: *DEUS creavit hominem inexterminabilem* (idest immortalem) *invidia autem diaboli mors intravit in Orbem terrarum,* qua non irrumpente, immortalitas homini innocenti advenisset, adintra per esum de ligno vitæ, adextra a speciali DEI providentia & protectione.

LXXV.

Primi Parentis nostri infelicem echeu! lapsum perscrutantes in multa qui-

(x) l. citt: c. 11.

quidem diaboli ſuggeſtu incidiſſe peccata cum *Ambroſi:* (*y*) *Gregor:* (*z*) ſatis aperto videmus. Cum tamen in ipſa Scriptura comminatio ad Adamū directa ijs verbis, *quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno &c.* nos non fugiat, idcirco ſuffragante *Auguſtino* (*a*) judicamus noſtrum Protoparentem inordinato in ſuam uxorem *Aevam* amore, primum a recto divinæ legis tramite aberraſſe. Quanquam vero, *Chriſoſtom:* (*b*) hujus videatur ſenſus, quod a *Jezabelis* exemplo ob lapſus occaſionem Regi præſtitam, majoribus punitæ pænis, præ *Achabo* vineæ raptore, *Aevæ* quoque peccatum majus fuerit *Adæ* delicto, citius tamen *Ambroſio* adſentimur, *Iſidoro*, *Bernardo*, alijſque quibus cum penſitatis circumſtantijs peccatum viri ſimpliciter gravius fuiſſe, fructuoſa tamen pænitentia expiatum, adverſus *Tatianum* ſentimus.

LXXVI.

Inobedientiâ ſuâ ſibimet tantummodo nocuiſſe, non poſteris purum putum.

(*y*) in Luc: c. 4. (*z*) hom: 16. in Evang: (*a*) l. 11. de Gen: ad lit: c. 42. (*b*) hom: 25. in Ep: ad Rom:

putumque fuit *Pelagij* commentum. Huius pessimi viri absurditates tametsi à Latina Ecclesia rejectæ, nec non ab Orientali, *Attico* præsertim operante, D. *Chrisostomi* in Costantinopol: sede successore, in finitmis tamen Orientis regionibus viguere adhuc, atque ab *Armenis* haustæ, profundo in sinu adusque foventur. Contra hujusce furfuris homines, gravissimis momentis ducimur, vere esse peccatum Originale, ab *Adamo* ad posteros propagatione transfusum, quo omnes indiscriminatim per viam naturalis generationis progeniti, (excipe semper Jmmaculatam Dei Matrem) inquinantur, vereque fiunt peccatores. Quod peccatum in sua ratione non est substantialis quædam imago diaboli, aut concupiscentia, non aliqua qualitas morbida aut privatio justitiæ originariæ, non denique ipsum peccatum *Adæ* moraliter in posteris perseverans, sed ipse reatus culpæ ex inobedientia contractus.

LXXVII.

Præasserto peccato factum esse

conten-

contendunt, *Luther, Calvin:* hominis liberum Arbitrium funditus periisse, quibus morem gerunt, *Jasen* & *Quesnell:* quod pro veridica *Augustini* doctrina venditant, apage utrumque impudentissimum mendacium. *Vult* (ait *Augustin:* (c) *Deus omnes homines salvos facere, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè vel male utentes, justissimè judicantur. Pellagiani* econtra sibillabant, naturales hominis vires & facultates ex Adæ peccato, ne minimum quidem damnum subijsse, justè proinde increpati ab eodem S. Doctore (d) *Quid tantum de naturæ possibilitate præsumitur? vulnerata, sauciata, vexata est.*

LXXVIII.

Prima mundi cunabula senium subsecutum. *Scire debes senuisse jam mundum* (inquit Cyprian:) *non illis viribus stare quibus steterat, nec vigore, & robore eo valere, quibus ante prævalebat. Hoc Mundus ipse jam loquitur, & occasum sui rerum labentium probatione*

testa-

(c) l. de Spir: & liter: c. 33. (d) l. de nat: & grat. c. 53.

testatur. Occasus ejusmodi sive exitus sæculorum tempus, aliud Patres, aliud Rabbini, aliud prurigentis ingenij Philosophi veteres emetiuntur, stupescente *Augustino*: (e) *Ausi sunt homines præsumere scientiam temporum, quod scire cupientibus discipulis Dominus ait. Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate. Juxta est dies domini* (f) non tamen veniet, donec tria præcipue signa præcesserint, prædicatio Evangelij, discessio seu integra destructio Romani Jmperij & Antichristus- (g) Hæc, subsequetur resurrectio mortuorum, eorum etiam, qui eam inficiati sunt, *Ethnicorum*, *Cerinthianorũ*, *Gnosticorum*, &c.&c. ad Judicium extremum, in quo examen bonorum, vel malorum operum mentaliter, sententia sensibilibus verbis, juxta pervulgatam Scholarum opinionem, hæsitante hoc in passu Angelico Thoma producetur.

LXXIX.

Generali mortuorum resurrectioni nihil officit, quominus aliqui speciali

(e) in Psal: 8. (f) Joel: 3. (g) ex Lactant. l. 7. divin. Instit: c. 16. Catechism: Trident: p. 1. in exposit. art 7. symb: ap: c, 8.

ciali DEI privilegio ad beatam immortalitatem, jam olim reſurrexerint, qui proinde ut non amplius morituri, ita nec cum cæteris mortuis in fine ſæculi reſurrecturi ſint, ſed cum corporibus ſuis glorioſis dudum in Cælum receptis comparituri. Præ cæteris tum amore veritatis, tum potiſſimum fervore ac devotione impulſi, erga præſentiſſimã Ordini Noſtro Patronam, & Advocatam, omni amore proſequendam, intemeratam, ac ab omni labe immunem SS. Deiparam Virginem talem credimus futuram. In quam ſententiam, contra ac *Tilemontius* (b) ait, quum Patres omnes, qui ea de re egerunt, æquè conſpirent, & Scholaſticorum Claſſis pariter conſentiat, nullus supereſt ea de re dubitandi locus, adeo ut perfrictæ frontis, & procacis animi indicium ſit, Eccleſiæ Univerſalis uſui, & tot Patrum ſententijs non acquieſcere, vel cum eximio alias Theologo *Guillelmo Eſtio* dicere: (i) Aſſumptionem Jmmaculatæ Virginis redivivo corpore in Cælum, pie tantum a multis credi.

(b) Memor: Eccl: Tom: 1. p.1. (i) in 4. diſt: 43. § 8.

De Angelis.

LXXX.

OMnium ferè Philoſophorum ratiocinium ſvadet *Saducæis* Angelos eſſe in rerum natura, fideſque docet: incorporeos, immortales ab intrinſeo, ſimul cum mundo corporeo conditos, quo vero in loco? fidei non intereſt, probabilius attamen eſt, in Cælo Empyreo, in quo degunt per ſuam ſubſtantiam non operationem, numero immenſi. *Numquid eſt numerus militum ejus?* (*k*) *Qui facit Angelos ſuos ſpritus*, diſtinctos primum in *Hierarchias*, deinde in *Ordines*, Ordinum vero in primos, medios, & infimos diviſionem, ille ſolus exploratam habet Angelorum differentiam, tum ſpecificam tum numericam, quam ſe neſcire ingenue fatetur Auguſt: (*l*) fides per Eccleſiam non revelat, utramque in Angelis reperiri ſolida ratio Theologica probat.

LXXXI.

Et ſi Angelicæ ſcientiæ modum,

ac

(*k*) Job: 25. (*l*) lib: contr: Priſcillian. ad Oroſ: c. 10.

ac terminos exacte cognitos, habere nobis longe infra sublimitatem naturæ Angelorum positis, sit naturaliter impossibile, quædam tamen de ea nosse, quantum vel Scriptura, vel ratio commonstraverit, nihil prohibet. Primum sit idemque certissimum, Angelos etsi multa sciant, multa quoque etiam nescire: se ipsos per suam essentiam, alios a se per inditas unicuique Angelo, rerum omnium à DEO creatarum rationes cognoscere, Universalia & singularia, quæque demum sunt intra ordinem Universi, vel in se ipsis vel in suis caussis determinatis & naturalibus, non quæ in liberis ac indifferentibus. Actu ergo & defacto, omnium aliorum tam Angelorum, quam hominum affectiones, cogitationes, secreta cordium, cognitioni Angelicæ non patent, *Pravum est cor hominis, & inscrutabile quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda* (m) Quantum tamen est de naturali perfectione Angelorum possent ea omnia attingere, nisi Deus illa specialiter sibi reservasset.

(m) Jerem: 17.

LXXXII.

Conviciatur noſtrum Scholaſticũ dicendi morem de alloquio Angelico, *Beza* (*n*) homo hæreticus, non intelligens Paulum ſcribentem (*o*) *Si lingvis hominum loquar & Angelorum*, inde nos audimus, dari quamdam ſpiritualem inter Angelos locutionem, nec aliud eſſe, quam directionem cogitationis unius ad alterum. Quomodo peragatur directio is? an lingua Hæbrea ut *Jochana* Rab: an inſtrumento alarum? ut quidam ex *Rabbinis* an gracili quodam ſermone? ut *Mopſueſten* an per ſigna, conceptus manifeſtationem, vel productionem? *dignum eſt* (ait Gregor: (*p*) *ut mens noſtra, qualitatem corporeæ locutionis excedens, ad ſublimes atque incognitos modos locutionis intimæ ſuſpendatur*. Loquuntur certè ad ſe mutuo dum volunt, *qui faciunt voluntatem ejus*, liberi libertate contradictionis, diligentes ſe dilectione quo ad ſpecificationem neceſſitante, nos vero homines, quo ad exercitium.

LXXXIII.

(*n*) Coment: in Ep: ad Galat: (*o*) 1. Corint: 13. (*p*) l. 2. Moral: c. 5.

LXXXIII.

Quum Angeli, quo nomine potissimum proborum Spirituum munus exprimitur, appellentur interdum *administratorij spiritus*, (q) quia mittuntur a DEO ad prænuncianda insignium virorum natalitia, uti *Isaac, Samsonis, Joan: Baptistæ ac Jesu Christi*, ad protegendos viros DEI amicos, ad exerendam in impios ultionem, specie corporea hominis, vestiti appareant, corporis expertes, in quibus & qualibus corporibus ejusmodi apparitiones factæ fuerint decidendum: Non recte sane opinantur dicentes, omnes illas non vere exterius exhibitas sed tantum phantasticas fuisse, sola nimirum facta immutatione circa immaginationẽ eorum, quibus Angeli leguntur apparuisse: Neque illi, quibus placet apparitiones fieri, per quamdam immutationem sensuum externorum, qua fit, ut id quod non est appareat. Apparent enim in corporibus assumptis, non quidem de novo creatis, neque vere habentibus naturam corporum, quorũ speciem gerebant, uti opinabatur *Tertu-*

(q) ad Hæbr: 11.

Tertulian: ſed ex aere, vel alio quocunque ad præſentem uſum apto & formabili corpore, in quo nequeunt exercere opera vitæ. Diſparentibus tandem Angelis, corpora eo redeunt unde ſumpta fuerant, nequaquam quod temere affirmat *Calvin*, in nihilum abeunt.

LXXXIV.

Prælibato ſtatu naturali Angelorum, quô in ſpiritualium rerum genere ſuum ordinem tenent, alterum naturâ ſublimiorem, ac ſuo Opifici magis intimum, qui gratia continetur & gloria rimare neceſſe. Judicio fidei Catholicæ, Angeli prævaricatores ab inſtanti creationis malitiam veluti naturam a DEO creante non accepere, ſed a propria voluntate, quippe quod omnes in ſtatu viæ ad terminum in bonitate ac juſtitia quadam naturali poſiti gratia ſactificante cæteriſque donis ſupernaturalibus magnificati juxta majorem aut minorem eorum naturalem perfectionem, copiam merendi ac demerendi habuere. Quoto ſpatio? tot ferè ſunt ſententiæ, quot capita, ait

Dominici

Dominic: Bannes: Tribus adſummum moris, prima fuit creationis in ſtatu beatitudinis naturalis, altera meriti & demeriti, poſtrema præmij & ſupplicij. Hinc bonorum a malis diſcretio, *ſi utrique Angeli (inquit Auguſtin:* (r) *boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam Beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros certiſſmi fierent pervenerunt.* Ab illa beatitudine (fide divina credendum contra *Calvin: Anabaptiſtas*) per ineffabilem DEI Providentiam ad cujuſque hominis viatoris tutelam, ſingulum Angelum bonum deputari; non item malum, quum dæmones ipſi ſua ſponte ad homines tentandos ſint paratiſſimi, ac turmatim *ſeptem alij Spiritus nequiores* domum unde unus ejectus aggrediantur (s)

LXXXV.

Quando Angeli boni in juſtitia confirmati ad ſummum bonum perſeveranter convertebantur, ab eo mali apoſtatarunt averſi, poterant nihilominus abſolutè loquendo, & in primo ſuæ creationis inſtanti apoſtataſſe per pec-

(r) l. 12. de Civit: Dei. c. 9. (s) Luc: c. 11.

peccatum, habitâ ad id omnimodâ facultate. Princeps in ijs dum peccarat, non certè per libidinem, consvetudine mulierum captus cum assectis, quod *Origeni*, *Tettuliano*, Jræneo, Lactantio, *&c.* *a Chrysostomo* refutatis, (*t*) aliquando arrisit, non per linguam, odium, ingratitudinem in DEUM, aut invidentiam quâ exarsit in hominem vel superbiam, sed per luxuriam spiritualem, ita quod, peccatum primi Angeli, fuerit *philaucia* seu inordinatus amor sui ipsius, tam amicitiæ, quam concupiscentiæ. *Quod ergo est hominibus mors*, (proloquium *Damasceni* (*u*) *hoc Angelis lapsus, post lapsum enim non est ipsis Pænitentiæ locus, ut neque post mortem hominibus.*

LXXXVI.

Nusquam satis mirandum, quomodo obscuratum fuerit aurū Cæleste? mutatus color optimus, dispersi lapides pretiosi, magnifice præparati construendæ cælesti Jerusalem, Angelos dicimus perduelles, quibus DEUS *peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos*

(*t*) Comm: in Gen: 6. (*u*) l. 2. de fid: c. 4.

ciandos (*w*) flammis veris, elementaribus, æternis, non physice sed intentionaliter, intellectum dæmonis ita vincientibus ac afficientibus, ut ad alia objecta pro suo libitu non pssit eum deflectere. Catholicæ hujus veritatis infractis cancellis, retrorsum abijsse, atque erroribus *Calvini*, *Bezæ*, nuperorumque Unitariorum viam præmunisse credendus Origen: (*x*) metaphoricum quendam ignem, malæ *sc* conscientiæ synderesim ac desperationem, idque ad tempus in inferno accendens: Num omnes apostatici illi spiritus in tartara relegati? vel inde ad nos permulti remeati, in aeris regione dispersi, suarum secum semper ferunt tormenta flammarum ad instar febricitantis? affirmatur communiter in Scholis. Contraria tamen opinio, veterum Patrum consensu asserta, nullius erroris nota damnari potest, quippe quam neque Scripturæ Authoritas ullâ, neque Concilij definitio damnet.

LLXXXVII.

Ea multis insidet sententia, que obsessionem corporis humani per dæmonem

(*w*) 2. Petr: c. 2. (*x*) l. 2. de Princ: c. 2.

monem, morbum seu morbi appendicem, errantis phantasiæ ludibrium, emotæ mentis, & melancholia turbatæ phantasma esse constituit: Problemmatica res est, dari reipsa Energumenos, ait illa apud clarissimum *Calmet*: (x) Neque Ecclesiæ authoritate ad illam credendam tanquam fidei dogma cogimur, præferenda est sententia negans, ea enim arctiores inter fines virtutem dæmonis cogit, vulgaribus superstitionibus minus favet, ambigua omnia prodigia e religione submovet, ut sua fides veris probatisque assaratur. Omne id frivolum, malesanum, temerarium. Nunquam quidem dæmon propria virtute, authoritate, & insita a natura vi, illabitur in corpus humanum, sed divina, id præstat, concessa sibi facultate, quæ DEI voluntas ipsa omnium rerum natura censenda est. Dari itaque Energumenos, asserta est Scripturæ, Patrum, Judæorum, Paganorum, veterum & recentiorum sententia. Tantæ authoritati quis Pseudo-Philosophorum repugnet?

De

(x) Tom: 2. dissert: de Energumen.

De Gratia Justificatione & Merito.

LXXXVIII.

SEcundarios inter fines creationis humanæ, recenſet *Auguſtin*: (y) pro inſtauranda Angelorum ruina, hominem gratia Chriſti Servatoris redemptum. Eſt autem gratia, donum Dei gratuitum, ſupernaturale, homini lapſo conceſſum per merita Chriſti Domini in ordine ad vitam æternam. Primus *Origenes*, cujus doctrinam haud ita pridem Theologus quidam *de gratia catholiciſſimam* appellare non dubitavit, Stoicâ arrogantiâ, donum illud indebitum, inter noſtræ liberæ voluntatis fructus naturales rejecit, *Pelagianorum* idcirco *Amaſius* & origo. *Vis adhuc*(loquitur ad hominẽ *Hieronim*:(z) & alium noſſe, tui erroris principem? doctrina tua *Origenis* ramuſculus eſt. Hac ſaginatus *Pelagius Cæleſtius*, *Julianus &c.* capitales omnium conceſſu hoſtes divinæ gratiæ humanæ voluntatis arrogantiſſimi laudatores, naturalium virium humanarum obſtinatiſſi-

mi

(y) l. 22. de Civit: Dei c. 1. (z) Ep: ad Cteſiphont.

mi defensores, omnem gratiam internam cordis immutativâ oppugnarunt; At nusquam expugnarunt, palmam de ijs ferente *Augustino*, quod scilicet detur gratia supernaturalis interna, vires humanas roborans ad vitam æternam, consistens in actibus vitalibus supernaturalibus, in sanctis nimirum illustrationibus intellectus, & piis motionibus voluntatis.

LXXXIX.

Non procul a suo stipite decidere, *Pelagianam* ex parte leniendo hæresim *Massilienses* vulgo Semipalagiani, omnem gratiam ad consummationem operis salutaris necessariam admittentes, non tamen ad initium fidei. Æquè ac stipitem ipsum, id detruncavit *Augustin:* (a) *Sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum, vel perficiendũ quodcunque opus bonum, quod iam isti Fratres (sc Semipelagiani) verum esse consentiunt: unde in omni opere bono, & incipiendo & perficiendo, sufficientia nostra ex DEO est; ita nemo sibi sufficit, vel ad incipiendam, vel perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex DEO est; quoniam fides*

(a) l. de Predest: c. 2.

fides si non cogitetur nulla est & non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra est ex DEO: dante gratiam intantum necessariam, ut sine illa homo nullam veritatem supernaturalem nosse, (naturales namque tam disjunctivè quam collectivè quid vetat?) fidem aut initium ejus habere, aliquod opus salutare perficere, graves tentationes vincere, totam legem naturæ servare, Deum ut Authorem naturæ perfecto amore diligere, perseverare denique in bono, nullatenus valeat.

XC.

Hæc cum strenuè statuimus, absit ut credamus *Luthero Calvino*, obganientibus, hominem in statu naturæ lapsæ, ne quidem cum gratia posse aliquid boni agere, & quantumvis sanctum & justum, posse quidquam operari quod peccatum non sit, illud tamen inquiunt non imputatur fidelibus in Christum credentibus. *Joanni Hus*, omnia peccatoris opera peccata esse: Eadem appingenti operibus infidelium *Michaeli Bajo, Jansenio*, isthæc

opera ſine fide facta bona dici ſpecie ſolum, & officio, cæterum vitioſa & fæda manere, vel quia ad malum finẽ refferuntur, vel quia a debito ſibi fine aberrant. Gratia ſiquidem fidei, non adeo neceſſaria eſt, ad recte operandũ, ut ſine ea non poſſit fieri aliquod opus bonum morale; ſubindeque omnia impiorum, & eorum qui infideles appellantur, opera peccata non ſunt.

XCI.

Obviæ ſatis ſunt, variæ ac multiplices gratiæ ſpecies: harum nobiliſſima, quâ cætera in nobis divina chariſmata fulgent, fides radiat, ſpes ſolidatur, charitas inardeſcit & tota illuſtris virtutum corona, bonorum operum fructibus coronatur, gratia nempe *habitualis*. Hanc qui habitum eſſe & qualitatem negat cum *Catharino Pighio*, ac recentioribus, vel ipſum Spiritum S. loco ejuſmodi habitus, nobis inhabitantem putat, Concilijs *Viennen*: & *Trident*: utroque police non ſubſcribit. *Dicitur rectè inquit Bernard*: (b) *charitas & DEUS, & DEI donum; charitas dat charitatem, ſubſtantiva,* accide-

(b) tr: de dilig: Deo. c. 12.

accidentalem; *ubi dantem ſignificat*, *nomen eſt ſubſtantiæ*; *ubi donum*, *qualitatis*. Quæ quatenus hominem exornat DEO gratum & amabilem reddit *gratiæ*; quatenus hominem promptum & habilem efficit ad DEUM appretiativè diligendum *Charitatis*; habitus reapſe unus, ſubjectatus in voluntate omnino dici debet. Creſcit is per ſingula bona opera, quamdiu caducam hanc vitam agimus, nequiter quocunque lethali peccato moraliter repudiatur: DEO verumtamen ſolo, proprio ac vero Creatore gratiæ, aliter ac nunc diſponente, cum quocunque actu mortali, ſociabilis eſt.

XCII.

Scrupuloſè devitans *Pelagium Luther*: &c. metuenſque ſibi de non extollendo libero arbitrio quodvis opus in nobis ſalutare, DEO ejuſque gratiæ, nihil prorſus noſtræ voluntati attribuit: *Sicque tollens omino liberum arbitrium factus eſt Manichæus, dum refugit eſſe Pelagianus.* (c) ad quem peſſumdandum errorem dicere ſufficit: Gratiam Chriſti medicinalem, nullatenus

necef-

(c) Concil: Senonen:

necessitare voluntatem ad consensum, sed in ea reliquere dissentiendi facultatem, æque ac gratia illa sanitatis in Adamo, perhoc inter se discretæ: quod Adamus cum sola gratia habituali, & adjutorio actuali intellectuali, poterat perseverasse: Sancti vero & justi, in statu naturæ lapsæ ultra illa duo dona etiam opus habent gratia actuali piæ motionis in voluntate.

XCIII.

Gratiæ actualis in *operantem* & *Cooperantem*, Operantis in *Sufficientem* & *Efficacem*, omnium ore trita ac pervulgata divisio est: soli post *Calvinum* *Jansenio* exosa, qui multis in locis operum suorum, in statu naturæ lapsæ nullum *Sufficienti* gratiæ locum concessit; quin imo, ita in illam invectus est, ut eandem non modo inutilem & frugis omnis expertem, sed etiam monstruosam, & humano generi perniciosam calumniaverit, in suis pseudo-discipulis dicens: *A gratia sufficienti, libera nos Domine.* Has impietatis plenissimas voces, jure ac merito, execrati sunt, *Innocent:* X. & *Alexand:* VII.

quum

quum præter gratiam *Efficacem*, esse quoque *Sufficientem* doceant Scriptores sacri, tradant Patres, Summi Ecclesiæ Pontifices decernant; Eamque a Deo dari, non modo hominibus justis ad operandum proximè salutariter si velint, sed etiam omnibus quibusvis, obduratis & obcæcatis peccatoribus, (licet haud temerè oppositum doceatur a multis) infidelibus ac barbaris, ipsis denique infantibus in utero matrum suffocatis, quatenus Deus & præparavit media sufficientia ad eorum salutem, ac quantum in ipso est providit sufficienter, ut eis applicarentur.

XCIV.

Discrimen potissimũ gratiæ *Sufficientis* ab *Efficaci*, inde accipimus, quod prioris afflatui resistat homo, posterioris nunquam quia: *a nullo* (ait Magister gratiæ *Augustin:* (d) *duro corde respuitur*, quâ *mens humana* (e) *indeclinabiliter, & insuperabiliter agitur*. Quomodo indeclinabiliter cum sit libera? *Ista quæstio* (f) *ubi de gratia Dei, & arbitrio disputatur, ita est ad discernendum* *diffici-*

(*d*) l. de Prædest: SS. c. 8. (*e*) idem de Correp: & grat: c. 12. (*f*) idem de grat: Xsti c. 47.

difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. Ad hanc difficultatem aliquantulum enucleandam, systema a *Jansenio* adornatum, vim & efficaciam gratiæ repetens ex delectatione superiori, relativè ad gradus victrice, diris devovemus. *Molinianum*, existimans divinam gratiam per se teneram esse, flexibilem, facilemque sequi, quo eam cumque duxeris, genere & gradibus eandem cum *sufficiente*, solum ab eventu si humana voluntas per innatas suas vires illam flectat, illi consentiat, ea bene utatur *efficacem* reddi, cum Patribus non probamus. *Thomisticum*, juxta quod gratia *efficax* suam vim & energiam inevitabilem, accipit a prædeterminatione physica ex *decreto antecedenti* pendente, insupportabile censemus. Ad conciliandam ergo efficaciam gratiæ cum libertate nostra satis congruum nobis est, systema *Scotisticum*, de decreto divino condeterminante, in quo tanquam in ratione ultimatè completiva

tiva, Deus infallibili ſcientia ſcit ab æterno, voluntatem noſtram infallibiliter operaturam, in talibus circumſtantijs, cum tali auxilio gratiæ poſitam.

XCV.

Effectus formalis gratiæ ſanctificantis, ad quem ſe homo ſuis liberis actibus fidei, ſpei, & charitatis, divino opitulante auxilio diſponit, eſt juſtificatio hominis peccatoris, conſiſtens in reali intrinſeca juſtitia, *non quâ ipſe* (DEUS) *juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit.* (g) Hæc ſanctitas & iuſtitia in humanis animis hærens, non eſt eadem (ut putavit *Jovinianus*) in omnibus; ſed multiplici graduum varietate diſtincta. *Ipſi boni, ait Auguſtin:* (h) *diverſarum gratiarum ſunt, non omnes paria merita habent: ſunt alij alijs ſanctiores, ſunt alij alijs meliores.* Noſtrâ culpâ mortali, a ſtatu juſtitiæ decidimus totaliter, perſeverantes in illa centies millies perſvadentibus nobis hæterodoxis, ſe eſſe in gratia divina certo credere non debemus. *Licet* inquit *Auguſtin:* (i) *de ſuæ perſeverantiæ præ-*

(g) Trident: ſeſſ: 6. c. 7. (h) tract: 6. in Joan: (i) l. 11. de Civit: Dei. c. 12.

mio certi sint, de ipsa tamen perseverantia sua reperiuntur incerti.

XCVI.

Fructus seu effectus gratiæ sanctificantis sunt opera justorum, quæ ut sint meritoria de condigno vitæ æternæ, requiritur ex parte Dei promissio, & pactum de dando præmio, ex parte operantis status viæ & gratiæ, quibus sic positis crescit simul augmentum doni gratuiti & præmij, nisi superveniente peccato mortali mortificentur, eo nihilominus ablato reviviscunt, ad totum jus gloriæ, & probabiliter ad totum quoque jus gratiæ, quod antea habebant.

XCVII.

Merita ex actibus humanis gratia sanctificante formatis pullulantia, *semina sunt* ait *Bernard: beatæ æternitatis*. Actum autem humanum tria essentialiter constituunt, voluntarium, liberum & morale. Moralitas non importat solam cognitionem bonitatis aut malitiæ ex parte intellectus, per quam actus est dirigibilis, nec solam libertatem ex parte voluntatis, sed u-

trumque

trumque ſimul. Ex his coalitus actus humanus moralis bonitatem eſſentialem accipit, ex objecto, fine, & circumſtantijs, accidentariam ex accidentibus. Bonitati vero aut malitiæ internæ & eſſentiali actus humani, nova eaque diſtincta bonitas vel malitia, ſeperve-nit ab actu externo. *Mala enim voluntate vel ſola,* ait *Auguſt: quiſque miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis impletur.* Quod autem actus humanos bonos inter & malos, mediam viam reapſe teneant, actus humani indifferentes etiam quo ad exercitium, neque ex carnis aut oculorum concupiſcentia, vel ſuperbia vitæ procedentes, in meridiana luce de ijs ſcribebat *Hieronymus Auguſtino:*(k) *Bonum eſt continentia, malum luxuria, inter utrumque indifferens ambulare, capitis rheumata proijcere* &c. *Hoc enim nec bonum nec malum eſt, ſive etiam feceris ſive non feceris, nec juſtitiam habebis, nec non habebis,*

XCVIII.

Bonitas actionis humanæ fundatur, in conformitate & convenientia

cum

(k) Epiſt. 78.

cum interna morum regula conſcientia, quæ *rationale judicatorium*, à *Baſil: verum domeſticum tribunal*, à *Chryſoſt: concludens ſcientia, ab Anton: Padvano:* communiter dicitur; judicium practicū intellectus dictans quid in particulari, hic inde penſatis penſandis, faciendum ſit aut omittendum. Judicium iſtud licet de more accipiatur, pro actuali dictamine nihil tamen vetat, quin etiam cum *Venerab: Scoto* pro habitu concluſionis practicæ accipi non poſſit. Hoc ſive illo accipiatur modo, eſt prima & interna regula actuum humanorum ita, ut omne quod non fit ex fide ſeu conſcientiæ judicio dictante, peccatum ſit. Unde nunquam licet agere contra conſcientiam quamvis erroneam, quæ ut ſit morum regula, debet eſſe vera ſeu legi conformis, vel ſaltem inculpate præſumi vera, debet eſſe certa, ſine formidine partis oppoſitæ judicans actum eliciendum, eſſe legi conformem, quod ſi ſit dubia, ab actione abſtinendum eſt, ſi agendi neceſſitas non premat.

XCIX.

XCIX.

Conſcientia probabilis, ſeu judicium, quo mens non evidentibus quidem, ſed tamen gravibus rationibus ducta, actum aliquem hic & nunc eliciendum licitum eſſe. vel illicitum pronunciat, libertati favens, nullatenus morum regula eſt. Unde in concurſu duarum opinionum, quarum una probabilior eſt ac tutior, altera minus probabilis ac tuta, probabiliori ac tutiori morem gerere tenemur, ſtanti pro lege Jmo vero, etiam in concurſu duarum opinionum æqualiter probabilium quilibet tenetur morigerari ei, quæ ſtat pro lege, nec citra peccatum amplecti poterit faventem libertati: Siniſtrè itaque a quibuſdam Scotiſtis in favorem Probabiliſmi trahitur *Vblis Scotus*, quum primi in ordine Seraphico Alexander de Ales, S. Bonaventura, ac ipſe Doctor Subtilis, ne hilum quidem de Probabiliſmo cogitarunt, isq; parentem habuerit P. Bartholomæum Medina Anno 1577. Quod licet negent plures, *nemo tamen inficiari valet, tanti commenti ova poſuiſſe Medin am poſteriores vero excuſſiſſe:* inquit in ſuo

Appa-

Apparatu ad Theologiam Christianam Dogmatico Moralem *Pr Daniel Concina.* (*l*)

•

Exterior actuum humanorum regula est lex, cujus origo pendet, a summa Dei ratione, exhibente primas & immutabiles morum regulas, dictante quid rectum sit, quid honestum, quid pravum quid illicitum. Sicuti internæ illi, ita & huic externæ regulæ conformari tenemur, est namqne lex recta agendorum vel omitttendorum mensura si generatim sumatur, alia æterna, naturalis, & positiva alia. Ad legem naturalem omnia Decologi præcepta, si tertium de sanctificatione sabbati excipias pertinent,non tamen eodem modo. Mutariilla potest per additionem, non vero per abrogationem. Admittit quoque *Epiikeiam*, inquantum DEUS revera dispensare potest, in aliquibus quæ sunt juris naturalis: maxime vero in præceptis secundæ tabulæ Decalogi, si quintum excipiatur.

CI.

Lex positiva divina in Veterem

&

(*l*) Tom: 2. l. 3. dis: 1. c. 1.

& Novam dividitur. Vetus bona est, prout contra *Cerdonianos*, *Marcionitas*, & *Manichæos*, Fides Catholica docet. Hanc Mosi in monte Sinai duabus lapideis tabulis comprehensam, unicus ac verus ille DEUS tradidit, qui Christi æternus Pater est, non alius ab eo diversus quod hæretici illi impie crediderunt. Et quidem omnem omino, quo ad singulas etiam, minimas ejus partes, ipsemet Deus conditor dedit: perperam proinde *Ptolomeus*, *Valentini* hæreseos propagator, quod notat Epiphan: (*m*) partim eam DEO, partim Moysi, partim Senioribus adjudicat. Omnia hujusce legis præcepta, ad tria genera exasse reducuntur: Moralia Cæremonialia, & Judicialia, a Moyse promulgata. *Hæc sunt præcepta, & Cæremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus DEUS vester, ut docerem vos.* (*n*) Pessimè *Cerinthus* & *Ebion* notante *Augustino*, (*o*) Mosaicæ legis æternum quasi duraturæ, simulque Evangelicæ jugo, obstringebant fideles; etenim translato in Christum Aaronico Sacerdotio, legis quoque translationem fieri

(*m*) hæres: 33. (*n*) Deut: c. 6. (*o*) lib: de hæres:

ri oportebat, ac penitus abrogari. Unde Vetus illa lex quo ad omnia sua præcepta per Christi nativitatem cæpit infirmari, mori vero & extingvi per ejus mortem. An autem simul ac mortua fuit, mortifera evaserit? magna animorum contentione, summi post homines natos viri, *Hieronym:* & *Augustin:* disputarunt. Si sola alterutrius authoritate judicium ferri deberet penderemus animi. Si res ipsa proprijs rationum momentis librabitur, primas partes habebit *Augustin:* quod scilicet: Lex Mosaica morte Christi extincta, mortua fuit sed non statim mortifera, usque dum per universum orbem promulgatum erat Evangelium. Hinc Apostoli sincere & ex animo, & non prudenti quadam simulatione legalia non observarunt; atque S. Paulus verè & ex animo Cepham Antiochiæ versantem reprehendit, non simulate.

CII.

Lex Evangelica plurimis titulis illustrior, ac perfectior lege Mosaica, a Christo Domino instituta, cui proinde veri legislatoris nomen convenire, contra

contra *Lutheri*, & *Calvini* ſomnia, luce meridiana clarius. Non unum præceptum fidei continet, quod ijdem blaterones objectant, ſed tria præceptorum genera, ſacramentalia nempe, moralia & fidei. Judicialia Chriſtus nulla conſtituit, ut Eccleſiam ſuam in hoc quoque a Synagoga diſtingveret, quod non omnia etiam minutiſſima, ſicut cum Judæis à Deo factum fuerat, a ſe, qualibet occurrente neceſſitate, inſpecie determinarentur; ſed illi poteſtatem reliqueret, ea ſucceſſive ſtatuendi, quæ ad publicam fidelium utilitatem, pro temporum, locorum, perſonarum, cæterarumque circumſtantiarum diverſitate, magis conducere viderentur; quæ propterea apud Chriſtianos nunc vigent Judiciales leges, non divinæ ſed Canonicæ, & quia morum diſciplinam reſpiciunt, apud varios variæ ſunt.

CIII.

Præter Legem Chriſti directivam ac præceptivam, etiam legibus humanis, ad rectam hominum ſocietatem inſtituendam & gubernandam, paciq; publicæ conſulendum ſancitis, Reſpu-

blica

blica Christiana præmuniri debuit. *Factæ sunt leges* inquit *Isidorus* (p) *ut humano metu, humana coerceretur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio, refrænetur nocendi facultas.* Legum condendarum potestas a DEO hominibus collata, Ecclesiæ non modo, verum etiam Laicis & Magistratibus, plurimis detrectantibus hæreticis competit. Primo quidem summus Potifex, Oecumenica Concilia, ac Episcopi, tanquam veri Legislatores cudendarum legum auctoritate pollent: Prælati quoque Ordinum, Episcopalem, aut quasi Episcopalem jurisdictionem habentes, condere possunt leges pro sibi subditis, non tamen: maxime in Seraphico nostro Ordine juxta *Bullam Sixti* IV. *Circumspecta Apostolicæ sedis:* sub mortali in conscientia obligantes: Quanquam etiam actus internos, qui per se sunt causa actuum externorum præcipere valeant. Tandem in civili *Democratico* regimine populus, in *Aristocratico* Optimates, & in *Monarchico* Jmperatores, Reges cum suis Ordinibus, Super-

(p) l. 5. Ethymolog: c. 20.

premi Principes, ſibi reſpective ſubditorum actus, legibus præceptivis aut prohibitivis legitimè ligant, in interiori conſcientiæ foro; imo quamvis non ſemper, nec ordinarie, aliquando tamen poſſunt etiam cum vitæ periculo obligare.

CIV.

Humanæ Civilis legis materia propria, ſunt res temporales, qua propter Laici Magiſtratus, in Spiritualibus ſtatuendis non habent quidquam, quum id ſoli Eccleſiaſticæ Auctoritati competat. Legislatores Politici proprijs quo ad vim directivam tantum tenentur legibus, idque ex ſolo motivo virtutis per legem præceptæ Jdem cenſendum de Clericis reſpectu Legis Civilis; ex naturali ſiquidem æquitate ſe alijs Reipublicæ membris debent conformare, dum modo Lex lata, aut Sacris Canonibus, aut Eccleſiæ immunitati non adverſetur. Pereginos vero, a Patrijs legibus immunes dicimus, dum proprio abſunt a territorio, niſi abſint in fraudem; adſtringuntur ta-

men legibus locorum, quæ pervadunt, quemadmodum vagi & advenæ.

CV.

Legibus quibusvis regulati actus humani, boni; secus: mali seu peccata sunt. *Libertini* ut se ab omni labe peccati expediant, illud purum, putumq; commentum ajunt: nos cum *Augustino* (q) dicimus; esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem DEI æternam. Hinc absit inferre, rationem formalem peccati constitutivam, dici debere quid positivum, vel negationẽ gratiæ sanctificantis, aut perfectionis debitæ subjecto: Non enim aliud est; nisi carentia seu privatio conformitatis, quam actus peccaminosus deberet habere nec habet, ad legem divinam, vel humanam, contra cujus præscriptum elicitur, aut omittitur. Si est privatio rectitudinis necessariæ ad Deum beatificæ consequendum præceptæ est peccatum mortale, si tantum utilis & conducentis ad talem finem veniale.

CVI.

Omnia peccata una æquali lance librabat *Jovinianus Stoicis* ad stipulatus; Miscentes quadrata rotundis Pseudo-

(q) l. 22. contr: Faust: c. 27.

do-reformati, minima etiam peccata in reprobis damnant pro mortalibus, econtra vero in prædestinatis gravissima licet, venialia ducunt, quia ipsis non imputantur propter firmam eorum fiduciam in Deum. Ipsa sibi mentitur iniquitas: Dantur quippe peccata venialia ex natura sua in hominibus justis: *quamvis* inquit, *Augustin:* (r) *singula non lethali vulnere ferire censeantur; tamen omnia simul congregata velut scabies, nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi, speciosi forma præ filijs hominum, castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pænitentiæ resecentur.* Non sunt illa contra legem, quia venialiter peccans, non facit quidpiam lege prohibitum, nec prætermittit aliquid per legem præceptum, sed sunt præter legem, quatenus per ea non servatur modus rationis, quem lex intendit.

CVII.

Contra communem Theologorũ sensum, peccata venialia ex natura sua mereri damnationem æternam; quod hâc novissimâ pænâ non mulctentur, singula-

(r) hom: 50.

ſingulare miſerentis DEI beneficium; docuerat utramque Clariſſ: olim *Joannes Gerſon*: (s) Doctor Catholicus. *Bajus* idipſum ſed virulento ſtilo, propoſitione viceſima à *Pio* V. & *Gregor*: XIII. damnata expoſuit. Rigor hic a juſtitia Dei vindicativa remotiſſimus: Quippe quum peccatum veniale aſſociatum mortali, non puniatur pæna æterna in inferno, bene verò temporali, ſive in hac vita mortali fuerit dimiſsũ, ſive non. Jdem judicium ferimus de mortali dimiſſo, per congruã pænitentiæ ſatisfactionem non expiato.

CVIII.

Actus inordinatus & inhoneſtus, ſeu peccatum actuale commiſſum relinquit in peccatore maculam, ad ſimilitudinem maculæ in rebus corporalibus repertæ nativum nitorem corrumpentis. *Anima enim* ait Auguſtin: *media inter Deum & creaturas, converſione ad Deum illuminatur, melioratur, & perficitur: converſione vero ad creaturas obtenebratur, deterioratur, & corrumpitur.* Macula illa non eſt ſola privatio nitoris gratiæ ſanctificantis, vel ipſum

pſum

(s) l. de vit: Spirit lect: 1.

psum peccatum actuale præteritū moraliter perseverans in voluntate peccatrice, sed ipse reatus, seu condignitas passiva ad pænam, ex actu peccaminoso in homine permanens.

CIX.

Præter peccatum *commissionis* necessario admittendum est *omissionis*. *Duobus modis constat esse peccatum*, tradit Augustin: (t) *si aut fiant illa quæ prohibentur, aut illa non fiant quæ jubentur*. An autem ad omissionem illam culpabilem, requiratur etiam aliquis actus voluntatis, quo nempe homo velit positive, actū præceptum omittere, grande dissidium Theologis est: amoto partium studio, tanquam probabilius sentimus; Peccatum omissionis culpabilis fieri posse, absque ullo actu positivo voluntatis, qui sit illius caussa

CX.

Caussam cujuslibet peccati interiorem triplicem assignamus, ignorantiam ex parte intellectus, concupiscentiam & passionem ex parte appetitus, & pravam malitiam ex parte vo-

(t) l. de perfect: c. 3.

luntatis. Deum vero caussam exteriorem peccati, una cum voluntate nostra, ita quod velit, præcipiat, & operetur peccatum, hominemque ad illud excitet & impellat, hæreticalis blasphemia est. *Marcionis, Manichæorum Luter: & Calvin:* Omnium porro peccatorum distinctionem specificā non desumimus ab Objecto entitative spectato, nisi illa objecta materalia, diversam induant disconvenientiam cum regulis bene vivendi, priventque diversa rectitudine in esse actibus debita. Neque ex diversitate præceptorum, quæ fiunt a superioribus idem præcipientibus, in eadem specie virtutis ex eodem motivo, sed a circumstantijs specie differentibus.

De Incarnatione.

CXI.

MIrabile commercium, Mysterium *Incarnationis*, primum *Incorporationis* a Patribus Nicænis, a *Tertuliano, Cypriano, & Ambrosio* nuncupatum: *Teophaniæ* dein, Dei videlicet inter homines

mines corporeæ apparitionis, ab *Irenæo*, *Damasceno*, alijsque Græcorum Primoribus, præcinente *Paulo*:(u) *Magnum pietatis Sacramentum, quod manifestatum in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria:* esto creatæ Mentis aciem obtundat adeo; ut naturali lumine positivo argumento demonstrari non possit ejus possibilitas, neque a priori, neque a posteriori: attamen adversus gentiles ut possibile, ex *Sybillarum* gentilium Christi vitam mortem, & triumphum prædicentium vaticinio, nec non falsorum Numinũ silentio demonstrari potest, & ut conveniens Deo, Universo cui maximam venustatem contulit, nec non ipsi naturæ humanæ ad solium Divinitatis evectæ.

CXII.

Prædefinita in Scripturis optati Messiæ adventus tempora successisse jam pridem, ex impletis dudum apertissimis Prophetarum vaticinijs, nascituri Christi Epocham figentibus adversus Judæos invicte prorsus evincimus.

(u) 1. ad Timot: c. 3.

Quoniam vero plurima ſunt oracula, eaque multiplicis generis, quibus cæca Judæorum Meſſiam adhuc præſtolantium perfidia retundi poteſt, ex illis potiſſimum: *Non auferetur ſceptrum de Juda, &c.* (w) *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt, &c.* (x) *Veniet deſideratus cunctis gentibus,*(y)*&c.Ecce ego mitto Angelum meum, &c.* (z) nolentes eos etiam, & renitentes in Meſſiæ cognitionem deducimus.

CXIII.

Revolutas annorum periodos, ablatum Judæ ſceptrum, impletas Danielis hebdomadas,aliaque a ſacris Vatibus prædicta, iam pridem, & ad ea tempora exitum habuiſſe oſtendimus ex prætenſis, juxta quæ *Jeſus Nazarenus* mortalibus feliciter illuxit: in quo uno, alios omnes ſacris Prophetarum oraculis prænuntiatos *Meſſiæ* characteres, mirificè conſentire palpamus ijs verbis: *Sanctitas Sanctitatum eſt Meſſias ſanctificatus de Filijs David* (a) *qui poſt* LXX.*hebdomadas mundo apparuit*(b)

CXIV.

(w) Gen: 49. (x) Dan: 9. (y) Aggæ: 2. (z) Malach 3. (a) Rab: Moſes: in Cap: 19. Dan: (b) Hieron: ad c.9. Daniel:

LXX. Danielis hebdomadarum initium juxta calculos Chronologicos, non ab anno primo captivitatis Babylonicæ, neque a Jerusalem prima eversione, neque ab anno XXI. ejusdē captivitatis, neque ab edicto *Cyri* ipsius Regni primo, neque ab edicto *Darij Hystaspis* neque ab eo quod tulit *Artaxerxes* anno Regni VII. sed ab eo quod idem *Artaxerxes Longimanus* protulit anno Regni XX. consignandum esse censemus.

CXV.

Testimonium historicum de Domini *Jesu Christi* missione, & Divinitate, a *Flavio Josepho* Hebræo (c) posteris relictum, secundum leges veræ Critices, neutiquam suppositium, ac veluti peregrina manu, quod sibilant Calvinici alijque Osores, sed genuinū & authographum dicendum, eo permaxime quod id, & unanimis antiquissimorum Græcorum, Latinorumque codicum consensus, & veterum traditio luculenter testetur: Neque sententia probabiliter licet propugnans isthoc testimonium, e margine irrepsisse in textum, quid piā roboris ejusmodi testimonio detrahit.

(c) l. antiquit: Judaic: 18. c. 25.

CXVI.

Ad Chricti nascentis Epocham quod pertinet, quando quidem non solum sub *Augusto Cæsare*, sed *Herode* inter vivos adhuc degente, temporis plenitudo facta est, inter plurimas quæ accuratissimis Chronologis probantur computationes, gravior ea nobis videtur, ac probabilior, quæ Christi Natalem notat, Anno *Juliano* XXXXI desinente, ante Æram vulgarem V. Jmperij *Augusti* XXXX. a conducto exercitu, & a morte *Cleopatrae* XXVI. Regni *Herodis* XXXIV. a morte *Antigoni* & concesso sibi regno XXXVII, Urbis Romæ conditæ DCCXXXIX, Olympiadis CXCIII. anno IV, a diluvio IIIMCCCXLIX, a mundi creatione IVM. Periodi *Julianæ* IVMDCCIX, Hebdomadarum *Danielis* anno CCCCL. Consulibus *Augusto Cæsare* XII. *Cornelio Sulla* II. De Mensis autē die ac hora, qua lucem Christus aspexit, quamquam non una est veterum sententia, non est tamen cur ab antiquissima utriusque Ecclesiæ Latinæ & Græcæ recedamus, quæ pro certa &

imper-

imperturbata traditione ſemper habuit, Chriſtum VIII. Calend: Januar:, media nocte natum eſſe.

CXVII.

Locum in quo natus eſt Chriſtus extra *Bethleem*, in agro ſuburbano, in ſpelunca diverſorio conjuncta, & ſaxo excavata cum S. *Epiphanio* (d) contra Oſſinos præfigimus. Hunc recens natum in præſepio Virgo Mater reclinavit, ad quod etiam duo bruta, non moraliter ſed phyſice accubuere, ibique a *Joſepho* ipſo circumciſus eſt: Unde illos quam longiſſime hallucinari non dubitamus, qui ſola pictorum fulti auctoritate, Chriſtum in templo a Summo Sacerdote circumciſum fuiſſe autumant. Magos vero qui ſtella duce Bethleem cum muneribus, Chriſti adorandi cauſa adventarunt, verumque illi *Latriæ* cultum præſtitere, (inviciſſimum ſane ad Chriſti Divinitatem demonſtrandam argumentum contra *Socinianos*) uti Sapientes ac ſyderali ſcientia perfuſos, ita Regia dignitate conſpicuos *Innocent:* ſvadente (e)

Iſti

(d) hæres: 19. (e) ſer: 1. de Epiphan:

Isti Magi tres Reges fuerunt reveremur.

CXVIII.

Necessitas Unionis Verbi cum natura, haud mediocri in Scholis animorum agitur æstu, ad illam ponendam, neque metaphysicam neque physicam, aut simpliciter, aut ex suppositione Orbis conditi, vel peccati patratrati in Deo necessitatem comperimus. *Erat* enim *illi* ait Theodoret; (*f*) *facillimum, vel citra carnis involucrum, hominum salutem perficere, solaque voluntate mortis potestatem dissolvere.* Eapropter motivum totale adæquatum Incarnationis Verbi Divini, non fuit humani generis redemptio, Adamo enim non prævaricante Christus venisset, vi præsentis decreti. Incarnationem Christum promeruisse, falso docuit *Photinus*, Sirmiensis Episcopus, indicante August: (g) *Neque illam susceptionem hominis merita ulla præcesserunt, sed ab illa susceptione merita cuncta cæperunt.*

CXIX.

Christum purum hominem communi cæterorum more, ex commercio viri

(*f*) Serm: 6. cont: Gent: (*g*) Tract: 82. in Joan:

viri cum muliere progenitum, evulgarunt *Cerinthiani, Ebionitæ*, Carpocraphi, imperitissimi saperdæ; Ut enim obumbrante *Spiritu S. Mariam* integro, inviolatoque Virginitatis sigillo, *Jesum* concepisse, ac enixam fuisse, adversus hæreticos, ita nullos post Christum in lucem editum, ex *Josepho* filios suscepisse, sed perpetuam virginitatem servasse adversus *Appolinaristas*, & *Helvidium* propugnamus, cum Oecumunico Concilio Chalcedonensi, (b) *Sacratam esse etiam post partum, uterumque ejus fuisse integritate obsignatum ut nulli injuriæ* deinde pateret.

CXX.

Christum verum Deum æterno Patri consubstantialem, perfectum hominem esse, anima rationali cum omnibus eidem nativis facultatibus, tum corpore doloribus, communibusque naturæ humanæ infirmitatibus, a nostris attamen necessitate, caussa, atque effectu longe diversis, ex naturali humanæ carnis conditione obnoxio constitutum, non umbratili, vel cælesti, adversus *Phantasiastas* ratum habemus.

Jdipsum

(b) Tom: 4. Concil: pag: 824.

Jdipſum catholicum dogma a *Hilario* Pictavienſi Epiſcopo acerrime propugnatum, ſecus ſcribentibus *Claudiano Mamerto*, & *Eraſmo Berengario* in ejus operibus conſpicimus. (*i*) *Ut abſolutiſſimum nobis humanæ humilitatis Chriſtus eſſet exemplum, omnia quæ hominũ ſunt*, & oravit, & paſſus eſt.

CXXI.

Incarnatam Sapientiam Chriſtum ſtolidæ rabulæ *Gnoſtici*, & *Valentiniani*, referente *Jrenæo* (*k*) ſub ferula præceptoris alphabeto dediſſe operam, comminiſcuntur. Non abſimilis farinæ *Ariani* & *Neſtoriani*, Chriſtum purum hominem profitentes, omnem ei in primo conceptionis inſtanti ſcientiam infuſam denegant. *Eutychiani* cum *Agnoitis* ignorantiam appingunt. Si interdum divinum oraculum, *Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam &c* locum habere debet, nunquam oportunius adhibetur quam adverſus iſtos nugatores, qui inſipientes corde, quæ ignorarunt, blaſphemarunt. Intellectus namque Chriſti Domini, præter ſcientiam divinam & increatam, infuſa &

(*i*) Com: in Pſal: c. 35. (*k*) l. 1. c. 11.

ſa & creata, experimentali ac aquiſita, nec non ſcientiâ Beatorum non tamen comprehenſiva, cumulatè exornatus fuit, omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ abſconditos poſſidens. Qemadmodum intellectum debitis donis inſtructiſſimum, ita & voluntatem divinam & humanam cum ſuis geminis operationibus Chriſto adfuiſſe, adverſus *Monothelitas* contendimus. *Quorum enim naturæ diverſæ ſunt*, ait *Damaſcen: eorum etiam, tum voluntates, quam actiones differunt.*

CXXII.

Quanquam *Neſtorius* unam in Chriſto Perſonam, non ſemel agnoviſſe viſus ſit, & B. Virginem Matrem aliquando, ut fucum faceret Catholicis, appellaverit; ejus tamen verbis ad incudem revocatis, ambigua ea, & hæreticam pravitatem veſtientia deprehenduntur: Vaferrimusque Hæreſiarcha ſubſtantialem & phyſicam, Divinæ cum humana natura in eadem Hypoſtaſi unionem, Jmmaculatam item Virginē Deiparam, verè negaſſe conſpicitur, apud *Vincentium Lirinenſem:* (r) *Neſtorius*

(r) in Bibli: PP. Tom: 7. pag: 254.

storius contrario Appollinari morbo, dum se se duas in Christo substantias distingvere simulat, duas de repente introducit Personas, & inaudito scelere duos vult esse Filios Dei, duos Christos, unum Deum, alterum hominem, unum qui ex Patre, alterum qui sit generatus ex Matre. Quod dum ita impiè sensit cum suo Magistro *Mopsvesteno*, *Diodoro Tarsensi*, *Anastasio* Presbytero, ac cæteris; legitime ac canonice in Ephesina Synodo damnatus, & exauctoratus credendus, profitendumque catholicum dogma, unam in Christo esse Personam, unum *Christum*, atque Intemeratam Virginem *Mariam* proprie appellandam *Theotocos, quod* judice *Gregorio Nazian:* si quis non credit, extra Divinatem est.

CXXIII.

S. *Cyrillus Alexandrinus* Antistes, dum erumpenti *Nestorianæ* hæresi pro viribus obstitit, & duodecim editis Anathematismis, *Nestorij* blasphemias in Synodo Alexandrina impugnavit, in oppositum *Appollinaris* errorem lapsus, suspicandus non est. Ea enim lo-

quendi

quendi formula, *Una Verbi natura est incarnata*, quam catholicissimus Præsul ille, vel excogitavit, vel ab *Athanasio* primum inventam instauravit, tantũ abest, ut *Apollinarismum* sapiat, quin potius veluti fidei Catholicæ tessera inventa fuerit, unanimique Patrũ consensu probata referente *Flaviano Constantinopol:* in sua Fidei professione ad Jmperatorem directa. *Unam quidem Verbi Dei naturam, incarnatam tamen & inhumanatam dicere non negamus, eo quod ex ambabus unus, atque idem sit Dominus noster Jesus Christus.* Absit tamen ut inde quis inferat, a tribus Personis naturam humanam fuisse susceptam, quæ Patripassianorum hæresis fuit. *Solus enim Filius* ait *Concilium Toletanũ* VI. *suscepit humanitatem* in singularitate Personæ.

CXXIV.

Jllos qui *Nestorio* adversus *Cyrillum*, & Ephesinos Patres se addictos, cum *Joanne Antiocheno* professi sunt, ac *Cyrilli* anathematismos repudiarunt perversis *Nestorij* dogmatibus adhæsisse, minime putandum est. Quamquam fate-

fatemur, tria Capitula *Theodori Mopsvesteni*, *Theodoreti Cyrinensis*, & *Ibæ Edesseni*, quæ Concilij *Chalcedonensis* censuram effugerunt, impijs sententijs, erroribusque scatere deprehensa, atque *Nestorianum* virus fædissimè olentia, justissimo deinde anathemate perculsa fuisse, a V. *Synodo* Oecumenica, quam, & si primum reluctatus illi fuerit Romanus Pontifex *Vigilius*, ratam deinde, & firmam ipse habuit, probavitque, tum Epistola Synodica eodem anno, CCCCXXXIII. quo celebratum est Concilium data, quam autenticam esse pluribus cum *Eminentiss*: *de Noris* ostendi potest; tum altero Constituto, quod germanum *Vigilij* opus esse, gravissimæ demonstrat in Critica Baroniana noster *Antonius Pagius*, quamque alij deinceps Romani Pontifices *Pelagius* II, *Martinus* I. confirmarunt, totiusque Ecclesiæ consensu ut Oecumenica recepta est.

CXXV.

Eutyches Constantinopoli Presbyter, Anno Christi CCCCXXXVIII. Pontificatus S. *Leonis* IX. Imperij *Theodosij*

odosij Junioris in Oriente XXXXI, & *Valentiniani* in Occidente XXIV. post Synodum Ephesinam XVIII, esto contra *Nestorium* optime decertaverat, in Concilio Ephesino, cæco tamen abreptus zelo, in contrariam hæresim lapsus est; Unicam etiam sic in Christo prædicavit Personam, ut etiam unicam in ipso voluerit naturam, palam hoc impium ejulando dogma, coram *Florentino Patritio*; *Confiteor ex duabus Naturis fuisse Dominum nostrum ante unionem, post unionem unam naturam profiteor.* Nos orthodoxe profitemur, hypostaticè unitas in Christo duas esse naturas, distinctas, inconfusas, ac inpermixtas, salvis utriusque proprietatibus. *Jdem est Deus, idem homo, per Divinitatem Deus, per susceptionem carnis homo JESUS Christus, inquit Ambros:* (*s*) *ad Gratianum* Jmperatorem.

CXXVI.

Posita hac duarum naturarum unione personali, ista prono alveo consequuntur: juxta certas Theologicas regulas, admittendam esse in Christo Jdiomatum communicationē non ita

tamen

(*s*) l. 2. de fide: c. 4.

tamen ut in humanam Christi naturā transfusa omnipræsentia dicatur, quod somniarunt *Ubiquistæ*; orthodoxè oppugnati ab Augustino (*t*) scribente: *Una Persona Deus & homo est, & utrumque unus est Christus, ubique per id quod Deus est, in Cælo autē per id quod homo est*. Et sicuti Christus secundū humanitatē non est ubique, ita ut homo non est dicendus Filius Dei adoptivus, quod *Felix* Urgelitanus Episcopus & *Elipandus* Archi-Episcopus Toletanus, recusis Nestorianorū telis contendebant: *Est Filius Dei unicus, non adoptatus*. idē S. Doctor (*u*) CXXVII.

Vesanam illam *Prædestinatianorum Calvini, Lutheri*, ac *Jansenij* doctrinam quam inflatis genis proclamant, pro solis electis, non vero pro omnibus hominibus Christum mortem occubuisse, nemo satis poterit detestari. Scimus quosdā scribere ausos fuisse, hac in re S. *Augustinum Calvini* Magistrum ducemque extitisse. Hos mentiri impudentissime multa, dilucida *Augustini* testimonia produnt. *Judicabit* inquit ille, (*w*) *orbem*

(*t*) Epist: ad Dardan: (*u*) Tract: 7. in Joan: (*w*) Enarrat: in Psal: 95.

orbem terrarum in æquitate, non partem, quia non partem emit, totum habet judicare quia pro toto pretium dedit. Quod esto etiam nos admittamus, Christum, videlicet pro toto Universo mortuum; dicimus nihilominus ratione impeccabilitatis fuisse illum incapacem positivi præcepti rigorosi *metaphysicè* necessitantis, ac obligantis in conscientia, & comminativi odij ac pænæ æternæ in hypothesi transgressionis. Adeoque verè liber fuit, non tantum circa circumstantias imperatæ mortis, sed etiam circa mortem ipsam: *Non enim illi Pater, ut moreretur cogendo præcepit,* (*verba Anselmi,* (x) *sed ille quod Patri placiturum, & hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit.*

CXXVIII.

Emensis Servator noster a suscepto Baptismate tribus publicæ prædicationis annis, totidemque mensibus, bis gemino celebrato Paschate, impiorum circumventione in Crucem sublatus, inductis ab hora sexta, ad horam nonā in Universum Orbem ex prodigiosa solis obscuratione tenebris, pretiosam

(x) l. 2. Cur Deus homo c. 10.

oppetiit mortem, effusoque proprio sanguine hominum noxas expiavit, & exsuperans pro illis pretium solvens, juxta Doctorem Gentium, (y) *Empti enim estis pretio magno*. largissimè æterno Patri satisfecit. Merita tamen ejus satisfactoria non fuerunt de toto rigore justitiæ, nec simpliciter & ab intrinseco ut ajunt, valoris infiniti. Hinc: quanquam ejusmodi res nec ad fidem, neque ad bonos mores attineat, & problemmaticè grandi partium studio, ac rationum pondere dimetiatur in Scholis, probare nitimur; purum hominem bonis supernaturalibus instructum, quæis a Deo gratijs exornatum, in alia rerum vicissitudine potuisse divinæ Justitiæ pro offensa mortali Theologica satisfecisse.

CXXIX.

Et quia in limpidissimo Traditionis Universalis fonte, nihil quidquam certi speculari possumus de tempore Passionis Christi, deque ætate Jpsius quâ humani generis caussa, *mortuus est*, ait *Augist*: (z) *quando voluit. Quis ita vestem ponit, quando voluerit? sicut se*

carne

(y) ad Galat: c. 6. (z) Tract: 119. in Joan:

carne exuit quando voluit? Quis ita cum voluerit abit? Quomodo cum voluit obijt? Quamobrẽ nullus nobis obstrepat, nobisque insultet velut venerandæ antiquitatis desertoribus: Auctoritates Patrũ, & veterũ Ecclesiæ Scriptorũ obijciat nullus, qui in tam varias, tamque pugnantes concessere sententias. Nullus denique opinionẽ nostrã censorio novitatis stigmate inurat, quã & Scripturæ sacræ & hypothesibus a nobis statutis ac probatis consonã, Astronomicisque observationibus affatim satasfacientẽ evincimus: Christũ sc Jesũ mortuũ esse, anno *Juliano* LXXVIII. *Æræ* vulgaris XXXIII. Consulibus *Severo Sulpitio Galba*, & *Lucio Cornelio Sulla* Olympiadis CCII. anno IV. Jmperij *Tiberij* XIX, hebdomadum *Danielis* CCCCLXXXVII. in medio videlicet hebdomadis septuagesimæ & ultimæ, anno ætatis suæ XXXVII. inhoato.

De Virtutibus Theologicis. CXXX.

SAcrosanctam Fidem nostram probro & despectui habent, opprobrium ho-

minum & abiectio plebis *Idololatræ*, sibilis excipiendam tanquam nullius fruis exagerant o! utinam palinodiam canerent: Illius namque lumine Ecclesia incedit tanquam sponsa de thalamo suo, Christianus manuducitur ad Deum ut authorem gratiæ & gloriæ cognoscendum: *Accedentem* enim *ad Deum*, suadet Paulus *a*) oportet credere. Pro Objecto principali & præcipuo Eundem respicit, *Fidei primum & maximum officium est* verba *August*: (*b*) ut in verum Deum credatur. Pro secundario & minus principali, omne revelatum & revelabile, A ratione ergo *obiecti Formalis* abijcimus *Manicheis Lutheranis* ac *Calvinianis*, humanam rationem, lumenque ipsum fidei (quo se tenebriones illi perfusos jactitant) in singulis existens. *non enim fides de re evidenti concepta, fides dici potest*, advertit Athanas: (*c*) sed hanc adstruimus ipsam veracitatem Dei tam in dicendo quam in cognoscendo, cum sit *fidelis Dominus in omnibus verbis suis.*

CXXXI.

(*a*) Hebr: 11. (*b*) l. 3. de fide: c. 5. (*c*) l. de salut: advent:

CXXXI.

Verã fidem permanere in homine impio, dummodo infidelitatis crimine se se non polluerit dogma Tridentini est; (d) *si quis dixerit amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti anathema sit.* Alienum tamen est a sensu orthodoxo quod pertinaci propugnabant animo *Ebionitæ* ac *Arminiani*, in ijs qui in hæresim delabuntur & pravo dogmati mordicitus hærent, habitum fidei persistere. Cum nec ipsæmet animæ corpore solutæ, suoque in termino iam consistentes, hoc supernaturali apparatu splendeant: ut præviderat Augustin: *Neque enim jam fides erit qua credantur quæ non videntur, sed species qua videantur, quæ credebantur.*

CXXXII.

Si fidem quis dicat se habere, opera autẽ non habeat, numquid poterit fides salvare eum: amore veritatis, non curiositatis motu quærit in sua Canonica Frater Domini, (e) certe *sicuti sine fide impossibile est placere Deo, ita absque bonis* operibus salutem, à *Luthero* & *Cal-*

vino

(d) sess: 6. Can: 28. (e) cap: 2.

vino ſuis bajulis repromiſſam, adipiſci. Credat, timeat, ſperet, amet, juſtitiã colat, coronam juſtitiæ accipiet, monente *Bernardo*, (*f*) *Credis in Chriſtum fac Chriſti opera, ut vivat fides tua, fidem tuam dilectio animet, probet actio.* Fidei bonis operibus ſtipatæ, objecta credenda, ſufficienter in ſymbolo, quod Apoſtolicum vocamus, contineri quantum ad ſubſtantiam, indubitatum habemus, *id* judice *Auguſtino* (*g*) *breve eſt in verbis, ſed magnum in Sacramentis, quid quid enim de Deo & Chriſto, in Scripturis traditum eſt, in eo continetur*: atque adeo qui illud ab Apoſtolis conditum negant, ad ſua deſideria coacervant ſibi magiſtros, a veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur.

CXXXIII.

Pro quovis ſtatu, ſive naturæ, ſivel Legis Moſaicæ, ſive legis gratiæ, fuit ac eſt omino neceſſaria ad ſalutẽ neceſſitate medij, fides explicita, Dei unius, & quidem Remuneratoris, atque ante Evangelium etiam, neminem niſi per fidem ſaltem implicitam in Chriſtum, juſtifi-

(*f*) ſerm: 24. in Cantic:: (*g*) ſer. 181. de Temp.

justificatum tradit Apostolus. (h) Post Evangelij promulgationem etiam Dominicæ Incarnationis ac Trinitatis, fidem explicitam absolute necessariam omnibus, ita nobis firmum est contra *Socinianos*, sicuti externam ejusdem professionem dum urgemur. Proinde nec Religionem veram, falsæ religionis simulatione, in corde fovere licet cum *Helceitis*; nec mendacijs obtegere cum *Priscillanistis, Libellaticis, Anabaptistis* fas est aliquando. Jnde consvetudinem apud Christianos Sinenses introductam, iacto in Deum verum intentionis oculo, idola adorandi, profanos ritus exercendi, cibos, vestes, nominaque Jdololatrantium gentium usurpandi, superstionis & apertæ Jdololatriæ crimine damnamus, præeunte *Tertuliano*: (i) *Jdololatria est omnis circa Jdolum famulatus & servitus*. Jure ac merito, suo munere fungens Eminentiss: Cardinalis *de Tournon* lato decreto Pudicherij anno MLCCIV, a Summis Ponificibus Clemen: XI, Benedic. XIII. confirmato, rituum Sinensium

(h) ad Gal: 2. (i) L. de idolis c. 3.

sium consvetudines tanquam supersti-
tiosas reprobavit.

CXXXIV.

Quoniam Deus miracula institu-
it, tanquam signa quædam & testimo-
nia illius rei, ad quam verificandam ab
eo, qui illa coram hominibus patrat,
inducuntur, & ex ijs alia sint vera,
veris similia, falsa alia: nec, non so-
lum a malis, verum etiam ab hæreti-
cis & Schismaticis, imo & paganis ve-
ra miracula patrari possint, prout a-
liqua ex *Valerio Livio &c.* legere est:
apud August: (*k*) Ut vera a falsis se-
cernamus, & portenta quæ aliquando
PseudoProphetæ operari videntur, ad
vulgus meris dæmonum præstigijs ex-
cantandum, fidemque Christianam sub-
vertendam, pessumdemus: ita Deo tan-
quam Caussæ principali, vim patran-
di vera miracula adjudicamus, ut ea
nunquam patrare possit, in confirma-
tionem doctrinæ fidei Christianæ ad-
versæ: Jmo neque permittere, ut quis
abutatur virtute miraculorum opera-
tiva a se concessa: sunt namque
miracula, quasi sigillum quo
prima

(*k*) loc de, Civit: Dei: c. 16.

prima Veritas, ſuum obſignat teſtimonium, fidem ei concilians. *Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, & ſi mihi non vultis credere operibus credite* (*l*)

CXXXV.

Confirmandi fratres in fide claves Petri tenentis, Romani Pontificis partes ſunt, has obit pleniſſime, ſive credenda proponens & definiens, ſive definita explicans & reſolvens, ſive alias reſoluta ex Cathedra ut Doctor fidei ac Univerſalis Eccleſiæ Paſtor declarans. Verum enimvero, quia hæc ex nuper traditis patentia ſunt, ſolis ſapientibus plus quam oporteat ſapere, obturantibus aures ſuas, tanquam aſpides ſurdæ, ne audientes audiant: ut ne leviuſcula quidem circa authoritatē Pontificiā credibilia definientē dubitatio locū habeat, firmiter quia fide divina credendū eſt: Hunc in individuo hominē canonicè electū, & ab Eccleſia communiter receptū, nunc *Sanctiſſimū Dominum Papam, erga Ordinem Noſtrū Saraphicum munificentiſſimum, Dominum* CLEMENTEM XIII. *feliciter regnantem, eſſe verum ac legitimum Vicarium*

(*l*) Joan: 10.

carium Christi, Successorem Petri, & totius Ecclesiæ caput visibile.

CXXXVI.

Virtus per quã certa cum fiducia expectamus a Deo, tum beatitatem æternam, tum media ad illam capessendam conducentia *spes* est: *In quo, si aus* ait *Paulus*, (*m*) *& gloriamur, in spe gloriæ Filiorum Dei:* Incerta est ex parte nostri, nullusque sibi certò pesvadere potest, (seclusa speciali revelatione) se esse de numero electorum ad gloriam; si porro facta foret cuipiam revelatio futuræ suæ reprobationis, esto is non posset positivè sperare beatitudinem, non tamen licitè desperaret, quia sicut per spem avellimur a malis, & ducimur ad prosecutionem bonorum, ita spe sublata, in omne nefas effundimur, seu quod clare insinuat Jsidorus (*n*) Desperare idem esse, ac in infernum descendere.

CXXXVII.

Objectum terminativum spei nostræ, est Beatitudo tam *objectiva* quam *Formalis*, Deus nempe a nobis possidendus per visionem, & amorem, ad

quem

(*m*) ad Rom: 5. (*n*) l. 2. de Sum: bono: c. 14.

quem nos allicit Auguſt: (o) *Erige ſpem tuam ad bonum bonorum omnium, a quo omnia in ſuo genere facta ſunt bona.* Objectum vero *motivum*, ſeu ratio formalis ſub qua ſpes Theologica vehementer excitat, quaſi anchora in tentationibus & procellis hujus vitæ agitatos firmat in promiſſis Dei, cerciorante *Paulo:* (p) *Anchoram habemus in anima tutam ac firmam:* non eſt divina omnipotentia, aut Deus ſub ratione Deitatis abſolute, ſed ut noſtrum ſummum, inappretiabile, & ineffabile bonum. *Beatus vir qui ſperat in eo:* (q) Jlla autem bona creata, qualia ſunt habitus ſupernaturales infuſi, ad beatitudinem conducentes tanquam media reſpectu ſui finis, per quæ nos Deus decrevit ad ſe ipſum perducere, Obiecta Spei ſecundaria habenda.

CXXXVIII.

Neque mors neq; vita .... neq; creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, (r) qua eum diligimus ut Authorem ſupernaturalem, & fontem gratiæ & gloriæ, ac Creaturas propter ipſum, & ideo eſt vere ac pro

prie

(o) ſup: Pſal: 11. (p) Hæbr: 6. (q) Pſal: 33. (r) Rom. 8.

prie Amicitia hominis cum Deo: *Non es servus*, expertus in se scribit *Chrysostom*: (s) *sed amicus, si quæ tibi mando perficeris, non es famulus, sed amori nostro conjunctus* Virtus hæc Theologica non est aliquid increatum in anima vel ipse Spiritus S. mentem inhabitans, & motum dilectionis nullo habitu mediante caussans, sed aliquid in anima creatum ac diffusum (*Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*) quó anima sit principium productivum amoris Dei.

CXXXIX.

Extincta penitus *Illuminatorum* secta, elapso sæculo *Hispali* serpere incipiente: *Michael de Molinos* Hispanus, novum dogma molitus est, *Quietismum* inducens adeo mortiferum, ut animam charitate Dei oppletam, nihil in aliquo opere agere debere, se regendam divinæ voluntati comittere, omnem solicitudinem propriæ salutis, spem timorem, desideria quæque virtutum exuere sparserit, ac in pura quadam sine voluntatis actu indifferenti-

a ma-

(s) super. Vos amici:

a manendam voluerit. Quid plura? eo luxurianti ingenio progressus, ut animam in sua quiete orare, etiam dum somno abripiuntur sensus, aut in vigilia obscænis carnis voluptatibus hærent citra omnem maculam existere confinxerit. Omne id cupiditatũ sensualiũ & nugacitatis fascinatio: Nullus enim est, pro præsenti, statu talis, inquo mens Deo, adeo puro amore adhæreat, ut jam nec pænarum metu, nec mercedis ardore accendatur.

CXL.

Circa præceptum amoris Dei & proximi quando nam obliget? nonnulli Theologi moderni in scandalosas & absurdas abiere sententias, atque ideo uti primum & summum mandatum irritum facientes, ac Evangelicæ perfectionis spiritum extingventes ab *Innocent:* XI. reprobatas. Et licet præceptum illud quam sæpissime obliget atq; semper enitendum est homini ad ejus observationem, quod inculcat ipse Deus (t) *Diliges Dominum Deum tuum &c. verba hæc, quæ ego præcipio*

tibi

(t) Deuter: 6

tibi hodie..... meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, difficile tamen admodum est, præfigere tempus, tali præcepto hic & nunc obliganti. Probabilius cum Mariofilo Doctore nostro sustinemus, Deum super omnia non solum objective, sed & appretiative diligendum esse ex præcepto, in triplici temporis circumstantia: Primo nempe statim ac homo sufficienti usu rationis fruitur ad bonum & malum morale. Secundo: Diebus Dominicis ac solemnioribus: tertio circa mortis articulum.

De Jure & Iustitia.

CXLI.

Jus solum in re est verum dominium, cum per illud res devincatur & obligetur domino suo, quod dominium plenum, & perfectum, insolidum ejusdem rei, in instanti donationis absolutæ, dari penes duos donantem nempe & donatarium, contra communem Jurisperitorum sensum, cum gra-

vissimis

vissimis Viris Theologis, non diffitemur. Pari animo Catholicæ veritati jura pendimus, adversus *Renunciatores* sæculo III. Augustino refferente (*u*) docentes: Christianis vetitum esse aliquid proprium possidere, redivivos in Pseudo-Apostolicis, circa Annum MCCLXXXXV. ex *Alphonso a Castro*; decernendo licitum esse Christianis dominium rerum temporalium, eoque gaudent non solum parvuli & amentes, sed etiam infideles & peccatores quid quid incontra desipiant Wicleff: Hus: &c. *Deus dat* inquit *Augustin: felicitatem in Regno Cælorum solis pijs, regnum vero terrenum & pijs & impijs, sicut ei placet, cui nihil injuste placet* (*w*)

CXLII.

Prætensum in hominibus proprietatis dominium ex rerum divisione manavit, non Jure divino introducta, cum Deus omnia subiecerit sub pedibus hominis, neque ex jure naturæ, quia hac manente integra, æqualis in omnibus sortis fuisse homines, communis Theologorum sensus est. Jure itaque gentiū divisio rerum exorsa, aprime

(*u*) l. de hæres: c. 40. (*w*) l. 5. de Civit: Dei: c. 21.

me consulens, jam saniori bonorum administrationi, iam servandæ tranquillitati inter homines, divitiarum æstu ferventes, ambitione honoris incensos, licita est. Ex particularibus autem juribus diversæ distributiones rebus conveniunt. Nam ex unanimi omnium calculo plura omnibus communia remanserunt: ut Civitates, plateæ, aer, imber, mare, flumina *&c. &c.* Quorum usus est apud omnes, & Dominium apud nullos, sed primo occupanti cedunt, ut feræ, pisces *&c.* Aliæ etiam res non jure gentium sed aliquibus juribus particularibus sunt divisæ: ut quod Antemurale Christianitatis florentissimum Poloniarum Regnum, sit Serenissimæ istius Reipublicæ & Regis, Galliarum alterius, quod hic fundus unius, alter alterius sint Domini *&c.*

CXLIII.

Inficiatur nemo Christum ut Deum, habuisse dominium temporale, illudque supremum & Universale tam jurisdictionis, quam proprietatis, in totum mundum ejusque omnia bona, ast

de domi-

de dominio Christi ut hominis, sæculo XIV. occasione quorundam Fraticellorum, non privatos modo Theologos sed & ipsos Summos Pontifices, *Nicolaum* III. & *Joannem* XXII. dissidia quædam tenuerunt. Nos in primum Theologicorum fontium, unde sanioris doctrinæ conclusiones hauriuntur locū intenti, sacrā videlicet Scripturam, comperimus: Christum Dominū etiam ut hominem, a primo conceptionis suæ momento, fuisse verum Orbis Monarcham, jure Regis ac Monarchæ super omnes alios Reges, per se ac directe, Universali excellentique dominio in res omnes creatas homines & Angelos conspicuum; Regia nihilominus potestate, in Provincias Jsraelis vel jure hæreditario, ut *Burgensis* & *Armacanus* autumavere, vel communi Judæorum suffragio, quod *Albertus Pighius* censuit, nunquam potitum esse.

CXLIV.

Jus proprietatis & dominium Ecclesiarum Ministrorumve Sacrorum; aspernati sunt olim, *Pauperes* de *Lu-*

gduno, à *Valdo e Valdenses* nuncupati; labefactarunt *Wicleff: Luther: Calvin:* sacrilega bonorum Ecclesiæ abjudicatione, gratiam Principum aucupaturi. Quod sane si ad Sacræ Scripturæ Tribunal constituatur, notorium notorietate juris & facti fiet, prædones istos, plusquam Vatiniano odio in Ecclesiam, bona illi sacra, susdeque miscuisse profanis. Ut enim Sacerdotes Veteris legis, suas habuisse possessiones leguntur: ita & Apostolos, eorumque Successores bona Ecclesiæ in communi possedisse, proventuum dispensationem penes Episcopos eorumque Oeconomos & Archidiaconos mansisse, ut proportionaliter in Clericos, fabricam Ecclesiæ, pauperes, & Episcopi usum distribuerentur, res est omnibus compertissima Et quamvis Clerici beneficiati, sint domini bonorum patrimonialium, vel quasi patrimonialium, aut alio justo titulo aquisitorum, nec non illorum Ecclesiasticorum, quæ intuitu sacri ministerij sunt ipsis necessario deputata ad congruam & honestam sustentationem: post divisionem tamen

bonorum Ecclesiasticorum, ubi portio pauperum est commixta cum portione Episcoporum, & Rectorum Ecclesiæ, non sunt hi censendi domini illius partis, quæ notabiliter excedit congruam sustentationem illorum. *Nihil inde* (idest de Sacro ministerio) cavet *Augustin:* (*x*) *Minister accipiat, præter cibaria, quæ ad sustentationem miseræ servituti dantur extrinsecus.* Unde reditus superfluos sub peccato mortali tenentur expendere in pauperes, & necessitates Ecclesiæ, tanquam justitialiter & sub onere restitutionis ad id obligati. *O! quanta abusio est,* exclamat post divisionem scribens *Laurent: Justinian:*(*y*) *Christi ditari divitijs, non ne thesauri Christi, sunt facultates Ecclesiæ? .... Noli igitur tu qui possides, retinere quod alienum est, ne furti reprehendaris in caussa. Scito te debitorem esse omnium facultatum, quæ honesto victui tuo supersunt.*

CXLV.

Vigilantius doctissimo D. *Hieronymi* libro repressus, extreme oppositum *Fraticellis* errorem amplectens,

(*x*)lib. 2. de Serm. Dni in monte (*y*) l. de Compass. Christi

adſeruit, melius eſſe retinere divitias, & ex ijs eleemoſynas facere, quam omnibus renunciare. *Calviniſtæ* & *Lutherani*, omnium Ordinum Regularium impugnatores, votum paupertatis, intentionê cultus Deo præstandi, ut ſacrilegum & ſuperſtitioſum, animô vitandi curas temporales emiſſum ut vanum & ſtultum reputant. *O! ſtulti & tardi corde ad credendum* verbis Chriſti (z) *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* His alijſque inſtructi primitivæ Eccleſiæ fideles, Apoſtolorum veſtigia præmentes, voluntariam paupertatem nedum ſui ſponte amplectebantur, verum ad eam ſervandam etiam voto ſe adſtringebant: *Nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant eis omnia Communia.* (*a*) Violati ejuſmodi voti cauſſa *Ananias* & *Saphira* repentina morte percuſſi. Sacroſanctè itaque Votum Paupertatis profitentur Religioſi omnes, qui (Seraphico Ordine *Capuccino*, & *Obſervatino* exceptis tenentibus ſimplicem uſum facti, in rebus unico uſu conſumptibilibus, realiter ſeparabilem ab earum domini-

o,)

(z) Luc: 14. (*a*) Act: 2.

o,) habent verum dominium rerũ temporalium ſive mobilium ſive immobilium in Communi, & non ſolam adminiſtrationẽ illarũ, ſuntq; capaces ſucceſſionis hæreditariæ vel ab inteſtato, vel ex teſtamento, ex definitione Tridentinæ Synodi: (*b*) Bonorũ autẽ Spiritualiũ in particulari omnes Religioſi profeſſi. Hinc etiã *Minores Conventuales* obſervantes & profitentes Regulã Seraphici Patris *Franciſci*, juxta indulta & privilegia Apoſtolica poſſunt habere peculiũ, & cenſus vitalitios, dependenter a voluntate ſuperiorũ abſq; proprietate, poſſidenteſve bona in communi ſunt veri & legitimi filij S. P. Franciſci, ſervantque Regulam ad litteram ſimpliciter, eſto ſint in paupertate in communi diſpenſati per ſedem Apoſtolicam. CXLVI.

Vitæ communis Religioſæ origo ſi quæratur? in voluptuoſo Paradiſi vireto, primas radices habuit, Bellarmino teſte: (*c*) ſi exemplar omnibus numeris abſolutum ſpectetur? id Chriſtus eſt, SS. Apoſtoli, primorum credentium multitudo, Clerici denique

ſæcula-

(*b*) Seſſ. 25. c. 3. de Regular. (*c*) l. 2. de Monach: c. 45.

ſæculares in communi viventes, Deum pro ſua ſorte & hæreditate nacti. Et quia viciſſitudo omnium humanarũ rerum eſt, etiam vita communis Clericorum vicem ſuam doluit, adeo decurſu temporis extenuata, ut ſui erubeſcens fugerit in eremum, & inde intra clauſtra Regularium detruſa, foris quidem exire poſſit, ſtare vero non poſſit. Regulares itaque a rigore vitæ communis, nuſquam Sacra Sedes abſolvit, ſæpe nimia Monaſteriorum paupertas, in quibus qui ſua deſerunt, ut in communi penitus vivant, recte ſua repetunt, ſi eis non detur ut in communi penitus vivant: *Quum res per quas cauſſas naſcitur, per eaſdem & diſſolvatur.* (*d*) Inde deducimus: Omnes Religioſos ſine peculio vivere, & ad exactam obſervantiam vitæ communis cõpelli debere, ſi eis ad præſcriptum Decretorum S. Congregationis ſuper diſciplina Regulari, omnia neceſſaria a Superioribus ſuppeditentur, ſin ſecus, nequaquam.

CXLVII.

Juſtitia quæ hominem ita ad æquita-

(*d*) Can: Omnis res: 27. quæ: 2.

quitatem compositum constituit, ut neminem lædat, alienum non sibi vendicet, omnibus prosit, quæquæ ex *Vulpiano*, est constans & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi, dividitur in *Commutativam* & *Distributivam* tanquam in suas species. Utraque non habet locum in Deo, cum is nequeat obligari creaturæ strictè justitialiter, adeoque non possit exercere justitiam sive distributivam, sive commutativam in ordine ad actus procedentes ex obligatione justitiali. Homo vero esto rigorem justitiæ tenere debeat: Judex tamen non potest licite sententiam ferre contra eum, quem scientia privata scit esse innocentem, etiamsi in foro externo fuerit reus convictus juxta allegata & probata, quia directe & quidem ut caussa principalis occideret contra præscriptum Dei, (e) *Insontem & justum non occides* R us porro juridice a legitimo Judice etiam sine juramento interrogatus, sub mortali tenetur fateri veritatem crimenve suum patefacere, licet sciat se ad triremes, perpetuum carcerem, bo-

norum

(e) Exod: 23.

norum omnium confiſcationem, ipſam denique mortem eſſe damnandum. Hinc *Priſcillaniſtæ* perpendente *Auguſtino* (*f*) inſulſe docuere: *in corde ſuo retinendum eſſe quod verum eſt, ore autem ad alienos proferre falſum, nullum eſſe peccatum.* Nos graviſſimum eſſe dicimus, & mendacium omni lege divina vetitum, adeoque & reſtrictiones mentales, quæ ſunt veri nominis mendacia.

Ex Quarto Libro Sententiarum De Sacramentis in genere.

CXLVIII.

PRofanis Scriptoribus nomen Sacramenti, obligationem ex jure jurando, quo ſe milites ad præſtandam Reipublicæ fidelem operam obſtringebantur, (ob id Sacramentarij vocati) præ ſe fert, inde ad omne juramentum extenſa huius vocabuli ſignificatio, etiam uſu Sacrorum Canonum recepta eſt. Apud Sacros Authores aliam peculiarem ſignificationem accipit, dum vel ad rem ſacram ſublimem & reconditam denotandam aſſumitur, ut a Paulo,

(*f*) lib: de mendac: & mendac c, 2.

lo, (g) *Nescierunt sacramenta Dei:* vel pro signo rei Sacræ: *quum signa* advertit *August: ad res divinas pertinent Sacramenta vocantur.* Omnem hic lapidem movent hæretici ad obstruendum, hoc sacrum toti venerandæ antiquitati nomen, signi vel signaculi vocabulum in eius locum subrogando: Rem per illud significatam *Sociniani* dicunt esse, coadunationem in unum Religionis nomen: *Sacramentarij* notas Christianæ professionis, *Lutherani* promissionem gratiæ externo signo annexam, *Anabaptistæ* allegoriam, figuram virtutum, bonorum operum, Christianæ vitæ, *Calvinistæ* testimonia divinæ in nos benevolentiæ externo signo confirmata, eandem crambem recoctam ponunt alij. Nobis dogma Theologicum est: Sacramentum esse *signum sensibile gratiam Dei, vel ejus effectum gratuitum ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris.*

CXLIX.

Existentiã & divisionẽ Sacramenti, a multiplici statu naturæ creatæ ra-

(g) ad Ephes: 1.

tionalis colligimus, cumque is prior fuerit Protoparentum, in quo innocentiam nacti, in sanctitate & justitia in dies proficere poterant, admodum credibile est, quod sicut ad vitam corporalem fovendam, ita & spiritualem conservandam, amplificandam que opportunis indigebant adminiculis: *Nec sine Mysterijs* observat *Augustin:* (b) *rerum Spiritualium corporaliter presentatis, voluit hominem Deus in Paradiso vivere. Erat ei ergo in lignis cæteris alimentum, in illo autem* (nempe ligno vitæ) *Sacramentum.* Inde fit, quod in statu Innocentiæ longius durante defacto vi præsentis decreti & Providentia (nam de alia divinare quis audeat) fuissent instituta Sacramenta. Ab illa nusquam satis explicanda innocenti conditione ad statum Legis naturæ detrusus homo, annis juxta communiorem Chronologiã MMDCCXIII in eo mansit, sed non absque Sacramento, ad expiandum peccatum Originarium per quam necessario. Contra quod, aderat eo tunc, signum quoddam sensibile externum, determinatum a Deo in genere

re

(b) l. 8. de Gen: ad lit:

re, proteſtativum & applicativum Fidei actualis in Meſſiam venturũ, habens veram rationem Sacramenti proprie dicti. Hæc dum pro parvulis originali culpa expiandis dicimus, pro adultis licet veri Dei cultoribus, inſtituta in Lege naturæ Sacramenta diffitemur.

CL.

Circumciſionis ſuum eſſe avitum ritum, apud ſe natum *Ægiptij* olim jactitarunt. *Herodotus* a Sacerdotibus ejuſdem gentis infaſcinatus, *Græcis* perſvaſerat, *Colchos* populos, *Arabes* atque *Hebræos*, Circumciſionem duntaxat obſervaſſe ut *Ægiptios* imitarentur, Juſtiſſime hoc in paſſu *Michael Vaſſorius* (i) *Joannem Marshaamum* redarguit, quod conceſſerit incredulis Deum auctorem Circumciſionis non eſſe, majoremque habuerit fidem *Herodoto*, *Diodoro Siculo*, *Celſo*, & *Juliano Apoſtatæ*, conſvetudinem hanc ab Ægiptijs deſcendentem fingentibus, quam narrationi Moſi. Nos ne minima quidem de Circumciſionis inſtitutione dubietate moti, ſartum tectum volentes primum omnium Abraamum circumciſum,

(i) Ser: 8. de Paſſ:

ſum, neceſſitatem inſtituti eiusmodi ritus graviſſimos inter viros controverſam videmus. Et quamvis negari non poſſit Circumciſionem fuiſſe quoque ſignum commemorativum *fœderis* initi Deum inter ac ſemen Abrahæ, & *ſignaculum juſtitiæ fidei, quam habuit in præputio*, attamen inſtituta erat a Deo ut verum & proprium inter alios ſacros ritus Sacramentum, in ſignum abolitionis carnis peccati, & regenerationis per Chriſtum. *Quod ergo eſt octavo die non circumcidi urget Julianum Auguſtin: hoc eſt in Chriſto non baptiſari, & quod eſt perire de populo ſuo, hoc eſt non intrare in Regnum Cælorum.*

CLI.

Omnium ſane Interpretum Sacrarum *Litterarum* judicio, illud jamjam morituri Domini *Conſummatum eſt:* ſignificavit Chriſtum per mortem ſuam omnia fere Prophetarum oracula impleviſſe, figuras omnes veteris Legis ad exitum perduxiſſe, & Sacramentorum antiquorum umbras morte ſua, tanqam exoriente ſole fugaviſſe. Jd diſcooperuit *velum Templi ſciſſum in duas par-*

tes

tes: quoniam inq it Leo M (k) sciss templi velo Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, & Lex in Evangelium verteretur. Nihilominus Apostolos temporibus illis quæ Christi mortem & resurrectionē proxime comitabantur, Legis Mosaicæ ritus, & Sacramenta usurpavisse, testis est Lucas: (*k*) non simulate & tanquam res physicas & *adiaphoras* adhibendo, sed religiose ac pie, quoniam Sacramenta Veteris Legis simul atque mortua, mortifera non erant; & Matrem Synagogam jam extinctam, oportebat cum honore sepeliri.

CLII.

Extinctis veteribus nova legis gratiæ Sacramenta successere *virtute majora ait Augustin (l) utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora:* cui classicum intonant Novatorum phalanges, qui modo unum Sacramentum admittunt, ut *Luther*: modo duo ut *Calvin*: & *Melanhton*, nunc tria ut *Brentius*, aliquando quatuor ut *Lossius*, nonnunquam sex ut *Postellus* in *Parthe-*

nofian

(*k*) Actor. 16. 18. 21. (*l*) l. 19. contra Faust.

nosian communiter tamen duo Sacramenta proprie distincta volunt; Baptismũ & Cænam. Septem sunt, nec plura nec pauciora. Lotio enim pedum quã quidam hæreticorum albo Sacramentorum inserunt. de qua videtur (*m*) haberi divinum mandatum, propterea olim in Mediolanensi teste *Amorosio*, (*n*) & Gallicanis Ecclesijs servata, dum conferretur baptismus, instituta fuit a Christo ad exemplum & exercitium humilitatis, non ut efficax symbolum sanctificantis gratiæ.

CLIII,

Auctor Sacramentorum Evangelicæ Legis, ita solus Deus est- ut nulli Creaturæ potestas eadem instituendi potuerit communicari: Quocirca licet omnia septem Sacramenta immediate, & per se ipsum Christus Dominus instituerit, neque enim fidem merentur quæ post Magistrum Sententiarum evulgarunt pij & doctissimi Theologi, tamen Christus quatenus homo, caussa moralis & meritoria tantum institutionis Sacramentorum est: Poterat is pro libitu suo, has vel illas res pro materia,

(*m*) Joan: 13. (*n*) l. 3. de Sacram: c. 1.

ria, hæc vel illa verba pro forma in specie determinaviſſe, nihilominus quorundam Sacramentorum materiam & formam deſignavit in ſpecie, quorundam ſolum in genere, relinquendo Eccleſiæ ſuæ ſpeciei determinationem. Omnia ergo Sacramenta novæ Legis perficiuntur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, ita: ut res & verba vel formalia *vel* æquivalentia, ſint partes intrinſecæ Sacramentorum tranſeuntium, minime vero Sacramenti permanentis, hoc eſt *Auguſtiſſimæ Eucharistiæ*.

CLIV.

Eſt quidem penes Eccleſiam poteſtas ſtatuendi & mutandi pro temporũ & locorum varietate cæremoniales ritus, ſed non Sacramentorũ ſubſtantiam, ſitam in rebus & verbis vere & proprie conſecratorijs, quando quidem verba illa in Sacramentorum confectione non ſe habent perinde, ac prædicatio Evangelii, gratiam Chriſti nobis proponens, polliciens, nos ad fidem in Chriſtum excitans, ſed reapſe immutant & conſecrant materiam ſenſibilem quam

afficiunt; quod demiratur in Baptismo Augustin: (o) *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus abluat, & cor tangit, nisi faciente verbo .... Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo: Detrahe verbum, & quid aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum.*

CLV.

Verba Donatistarum apud Augustin: (p) atque & sensus animi, is erat *Quis quis peccator inter omnes homines fuerit, jus sibi Baptismatis non usurpet. Waldenses quoque Albigenses, Hussitæ Wicleffistæ & Anabaptistæ*, potestate conficiendorum Sacramentorum malos homines spoliarunt. *Quasi vero quod infidelis colonus plantaverat*, ita disputat cum *Cresconio Augustin: propter ejus infidelitatem, non germinet vis seminis.* Mendacissimus *Luther*: etiam diabolo conficiendi Sacramenti, potestatem nobiscum communem facit, si a Deo permitteretur. Calvin: ijs tantum quibus Christus ministerium commisit legitimi

gitimi

(o) Tractat: 80. in Joan: (p) l. 2. contra Crescon: Gram: c. 27.

gitimi dispensatoris officium competere autumat. Contra priores, validū agnoscimus Sacramentum etiamsi ab impio scelestissimoque Ministro collatum, modo nihil eorum desit, quæ ad illius constitutionem sunt necessaria. Adversum hos directe perorat *Augustin:* (q) *Nemo accipit sine dante, sed quod pertinet ad Baptismi Sanctitatem, adest Deus qui det, & homo qui accipiat, sive per se ipsum donante Deo, sive per Angelum, sive per hominem sanctum, sicut per Petrum, sive per hominem iniquum.*

CLVI.

Ut valeant Sacramenta in illorū Ministris non est necessaria fides, requiritur tamen intentio, seu propositum voluntatis rem Sacram peragere intendentis. Latet quidem talis intentio, ut pote ex animo proficiscens interius recondita, ea tamen ob externam actionem, qua se prodit, *externa* aliquando appellatur. Si hæc intentio forinsecus apparens, simulatoria sit, irrisoria & quasi mimica, nullum Sacramentum facit. Quod si vero nullam simulationis speciem, sed solam superficialita-

(q) l. 2. contr: Epist: Parm: c. 15.

tem actionis Sacræ, (intus reclamante Ministro se nolle facere quod facit Ecclesia, solicito tamen ne quidquam necessarium prætermittat,) portendat, validum Sacramentum est, *Ambrosio Catharino*, alijsque magni nominis Theologis, quibus nequaquam credere possumus: Intentio enim illa, solius ritus externi serio adhibendi in Ministro non sufficit ad valorem Sacramentorum, sed necessario requiritur etiam interior, faciendi id quod facit Ecclesia, hoc est intentio faciendi rem sacram. Hæc intentio etiam in percipientibus requiritur non tamen fides, quibus æqualiter dispositis Sacramenta ejusdem rationis, ordinarie & de lege communi æqualem conferunt gratiam;

CLVII.

Est autem gratia primarius Sacramentorum effectus, *quem continent*, ait *Florentinum*, *& ipsam digne suscipientibus conferunt*. Qualis vero sit vis eorum, ad producendam gratiam, physica an moralis? quam acriter de eo disceptetur nemo nescit. Si quæstio isthæc, (scribit recentior quidam Theologus

gus) rationibus Philosophicis libretur, virtus Sacramenorum videtur esse moralis; si eadem Theologicis argumentis dijudicetur, physica. Ast quibuscunque rationibus tandem ponderetur, primas in Scholis tenere debet ea sententia, cui non gravate subscribit vir Dominicanæ Familiæ eruditissimus, unus ex Tridentinis Patribus *Melchior Canus*; quod scilicet Sacramenta novæ legis, causent gratiã ex opere operato, efficientia morali, & non physica.

CLVIII.

Sicut Sacramenta *mortuorum* ex se se ac primaria sua institutione primam, & per accidens secundam, ita *vivorum* ex sua conditione secundam, & per accidens primam gratiam caussant, eo in instanti, quo primum essentialiter completa sunt & applicata, si ea recipiens se ipsum probet, nec habeat patrati sceleris conscientiam vincibilem: Ultra hanc, etiam gratiam Sacramentalem, seu supernum quoddam auxilium ad finem Sacramenti consequendum operantur, nam *per Baptismum*, ait *Eugenius* IV. in Decreto, *spiritualiter*

liter renascimur, per Confirmationem roboramur. &c. Alter Sacramentorum quorundam effectus est *character*, de quo alia cum hæreticis, alia cum Orthodoxis lis intercedit, utrisque satis facimus sentiendo: *Characterem* esse formam realem absolutam ipsi substantiæ animæ impressam, indelebilem, & inamissibilem. *Quomodo desertor habet characterem*, exemplum *Augustini* (r) *ita & isti*, (Apostatæ) *habent Baptismũ, habent sed unde damnentur, non unde coronentur.* Ad honorificam autem dispensationem Sacramentorum, ad ornatũ & solemnitatem cultus divini, devotionemque in populo excitandam, institutæ sunt Cæremoniæ ab Ecclesia, satis rectè ac utiliter; receptos ejusmodi Sacros ritus omittere, approbatos mutare, peccatum grave est ex genere suo, parvipendere *insolentissimæ insaniæ*, inquit *Augustinus* (s)

De Sacramentis in specie.

CLIX.

PEttilianus Donatista Baptisma *Joannis*, quod memoriæ proditum est

ab

(r) l. de Symb: c. 8. (s) Epist; ad Januar.

ab *Augustino*, (t) componebat ex æquo cum Baptiſmo *Christi*; ejus veſtigijs hac noſtra ætate inceſſere, *Luther Calvin*: &c. nullam inter hæc duo lavacra rationem differentiæ ponendo, præter accidentariam temporis perſonarum, merſionis ac fidei, nulla facta effectus mentione. *Sociniani* illud adeo depreſſerunt, ut nullum in eo divinum mandatum agnoverint, ac inſtitutionem. Verum tota quod dicitur, errarunt via ij omnes: quandoquidem licet Baptiſmus Joannis non fuerit idem, cum Baptiſmo Chriſti, nec ejuſdem excellentiæ ac virtutis, inſtitutus tamen divino inſtinctu, & Moſaicis etiam merſionibus excellentior. *Non enim*, ut vere loquitur *August*: *renaſcebantur, qui baptiſmate Joannis baptizabantur, ſed Christo inquo ſolo renaſci poterant, parabantur; hujus enim Baptiſmus eſt non in aqua ſolum, ſicut Joannis, verum etiam in Spiritu Sancto*

CLX.

Quam certum eſt Chriſtum, Baptiſmum ſuum inſtituiſſe, tam incompertum Theologis, illius inſtitutionis tem-

(t) l. 2. contr: litt: Petiliani.

tempus. Credibile tamen valde est, institutum fuisse ante Passionem Domini non tempore abluti Christi in Jordane, neque in colloquio cum *Nicodemo* *N si quis renatus fuerit* ex aqua *&c.* sed paulo post electionem Apostolorum. Ab ijs verbis discimus contra *Lutherum* & *Bezam* solam aquam naturalem esse veram baptismatis materiam remotam; proxima autem sive dicatur immersio baptizandi in aqua, sive ejusdem in illū effusio perinde est. Trina enim mersio per XII. olim sæcula in Ecclesia Latina usurpata quæ etiam Græcis est in usu, non fuit necessaria necessitate Sacramenti, aut præcepti divini, sed tantum Ecclesiastici. Forma autem Baptismi in expressa *SS. Trinitatis* invocatione necessario consistit, nec secus unquam vel ipsi quidem APOSTOLI egerunt, qui proinde improbabiliter dicuntur in solius Christi nomine aliquando baptizasse. *Quomodo ergo quidam dicunt,* quærit *Cyprian:* (w) *foris extra Ecclesiam modo in nomine Jesu Christi, ubicunque & quomodocunque Gentilem baptizatum,* *remis-*

(w) Epist: ad Jubaian:

remiſſionem peccatorum conſequi poſſe. cum ipſe Chriſtus gentes baptizare jubeat, in plena & adunata Trinitate.

CLXI.

Mentitur more ſuo *Calvinus*, aſſerens lethaliter peccare Laicum, etiam in caſu neceſſitatis baptizantem, hoc ſiquidem præmente, non modo valide ſed & licite illud adminiſtrat, quilibet homo viator rationis compos, vir ac mulier, Catholicus & hæreticus, imo & Paganus. Unde *Stephanus* Papa jure approbavit confectum ab hæreticis baptiſma, non tamen, ut calumniatur *Blondellus Calvin:* omnium hæreticorũ, ſed illorum modo, qui vera aqua & ſtatuta Chriſto forma (*x*) uterentur. Etenim apud *Cyprianum*, (*y*) (errore rebaptizantium tentum, vindicatum verùm a noſtro *Patre M. Raymundo Miſſorio*, in actis eruditorum Lipſiæ anno 4736. plurimum commendato, ſed inefficaciter) in Epiſtola 74. ad *Pompejum* ita loquitur Pontifex: *Nihil innovetur; niſi quod traditum eſt.* Quum autem, *Quæſtionis hujus* (de Hæreticorum Baptiſmo) *obſcuritas* ait *Auguſt:* prio-

(*x*) Math: ultimo (*y*) l. 1. de Bapt: c. 7.

(z) *prioribus Ecclesiæ temporibus, ante Schisma Donati, magnos viros & magna charitate præditos Episcopos, ita inter se compulit salva pace disceptare, atque fluctare, ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta nutaverint, donec plenario totius Orbis Concilio, quod saluberrime se tiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* De ejusmodi Concilio quod nam illud? haud leviter quæritur inter Criticos: Nos probabile esse sentimus, Concilium *Nicænum* I fuisse illud plenarium, per quod error rebaptizantium abolitus est nec non quæstio illa eliquata ac definita.

CLXII.

Quamvis in exordijs Ecclesiæ Baptismum adultis frequentius, quam infantibus conferri solitum fuisse, ultro assentiamur, hisce tamen, licet a Fidelibus Parentibus forent progeniti, scimus & tunc quandoque administratũ, non est ergo *Anabaptistis*, Socinianis credendum blacterantibus, minime expedire parvulos fide Christi per baptisma initiandos, quum ijs & quidem in re, non

(z) l. 1. de Bapt: c 7.

non ſecus ac adultis, vel in re vel in voto, Baptiſmum neceſſarium eſſe neceſſitate medij, fides noſtra clamitet. Nec eorum ſaluti Baptiſmus Matris, aut aliud ſignum eidem applicatum, non pertigens ad ablutionem corporis dum utero geſtantur, quidpiam opitulatur, ſicut & votum Parentum ſuſcipiendi Baptiſmi, ab infante naſcituro. Filij vero Infidelium, civiliter duntaxat & politice Principibus Chriſtianis ſubjectorum, invitis etiam Parentibus, accedente mandato Principis licite baptizari poſſunt.

CLXIII.

Aquæ Baptiſmi vices, nedum Baptiſmus *flaminis* in adultis, ſed & *Sanguinis*, tum in ipſis poteſt ſupplere, tum in infantibus, quos eo in caſu pro veris Martyribus habendos eſſe, exemplum *a bimatu & infra* occiſorum ab Herode ſvadet. Idem enim operatur Martyrium in patiente, quod baptiſmus in recipiente; qui ficte ſuſceptus; *tunc incipit valere* ait *Auguſt:* (z) *cum ad Eccleſiæ pacem venerint* (hæretici

aut

(z) l. 3. de Bapt: contra Donatiſt: c. 13.

aut Schismatici) *non ut jam dimissa non retineantur neq; ut ille Baptismus, quasi alienus aut alius improbetur, ut alter tradetur Sed ut idem ipse qui propter discordiã foris operabatur mortẽ, propter pacẽ intus operetur salutẽ.* Singulas Baptismi Cæremonias, sicut & Baptisma æris Campani, vetustissimas omniq; religione servandas soli inficiantur nostri ævi hæterodoxi, a quorum convicijs impudentissimis, eas vindicare parati sumus.

CLXIV.

Dudũ regeneratis in Christo parvulis ac adultis, quod hucusque Græcis in usu est, statim dispensabatur alterum verum ac proprium Novæ legis Sacramentum *Confirmationis*, immediate institutæ a Christo, tempore nobis hactenus inexplorato. Materia ejus essentialis, adæquata & totalis, est impositio manus & unctio chrismatis, ex oleo & balsamo consecratis confecti: Forma est tũ oratio, tum verba chrismationẽ comitantia: Ministri ordinarij sunt soli Episcopi: extraordinarij, ex speciali Papæ dispensatione simplices Præsbyteri. Effectus tandem, est gratia ro-

boris ac virtutis ad fidem strenue propugnandam, superandasque adversus eam insurgentes tentationes, & character. *Hoc oleo uncti cum spritualibus nequitijs colluctamur, nec fætoribus spurijs imbui possumus, qui balsami spiritualis odore fragramus*: scribit Author Sermonis de unctione Chrismatis inter opera *Cypriani*

CLXV.

Pluribus sane figuris augustissimũ *Eucharistiæ* Sacramentum formaliter & essentialiter consistens in speciebus consecratis, connotantibus verum corpus & Sanguinem Domini sub se contentũ, in Veteri Testamento præsignatum fuit ac promissum, eas inter unam tantummodo proprio nobis juræ vindicamus, *Paschatis* scilicet antiqui solemnitatem graphicè (*a*) descriptam. Hanc eandem ultimo suæ prædicationis anno a Christo servatam immerito sane negarunt Latini ac Græci hæretici, servavit sacrosanctè qui *venit legem non solvere sed adimplere*, & vel in *Alphei*, *Jacobi* minoris Parentis domo, vel in *Marci Barnabæ* consobrini,

cum

(*a*) Exod: 19. & Numer: 9.

cum Apostolis discumbendo prout Romanis & Judæis moris erat, Legale *Pascha* eodem prorsus, quo cæteri omnes Judæi tempore, ad vesperam scilicet *Lunæ* XIV Mensis primi *Nisan*, nostro *Martio* correspondentis, quæ in diem Jovis inciderat, pridie quam pateretur comedit. Inde fit: quod Christus Dominus post Agnum typicum expletis epulis instituens Eucharistiam panem *Azymum* consecraverit ad consecrationis tamen validitatem sive panis *Azymus* adhibeatur, sive fermentatus perinde est.

CLXVI.

Solam aquam esse alteram Eucharistiæ materiam, senserant olim *Ebionitæ*, ac *Tatianus Encratitarum* seu Abstinentium, quos *Aquarios* vocatos testatur *August*: parens: Vinum de vite, & quidem solum necessariam esse materiam Eucharistiæ, omnium nostrum una vox est. In eo aquam miscendam negarunt *Armeni*, ac cæcorum sequaces *Lutherani*, & *Calvinistæ*, necessario necessitate solius præcepti Ecclesiastici modica naturalis aqua, vino misceri

sceri

sceri debet, non ut in eam mutetur quæ de Christi transfosso latere manavit, vel ut prioribus accidentibus vini circumfusa remaneat, sed ut vi Sacramentalium verborum in Christi Sangvinem, prius in vinum conversa simul cum illo convertatur. Hæc admixtio non est humanum commentum, ut obtrudit *Luther*: sed antiquissima est, & magna mysteria obnubit. *Quando autem in calice vino aqua miscetur*, observat *Cyprian*: (c) *Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & conjungitur*.

CLXVII.

Ut veram Corporis Christi præsentiam in Eucharistia funditus tollat *Calvin*: conatur ostendere verba illa Christi *Hoc est Corpus meum*, unice significare Eucharistiam esse imaginem & typum Corporis Christi. Hæc audacissima hujus monstri interpretatio est, ita abhorens a Sacræ Scripturæ fide, & Patrum mente, ut nihil magis. Etenim ut graviter loquitur *Damascen*: (d) *ipse Dominus dixit, Hoc est Corpus meũ, non figura corporis, sed corpus, non figu-*

(c) Epist. 63. ad Cæcil: (d) l. 4. Orthodox: Fidei. c. 14

ra Sanguinis, sed sanguis. Non remanet quoque in Eucharistia substantia panis & vini, ut voluit *Luther*: nam posita horum consecratione adest vera, realis, & substantialis præsentia Corporis & Sanguinis Domini, ita ut vi verborum sub speciebus panis & vini, Corpus & Sanguis Christi cum anima & Divinitate consistat, illis pereuntibus & solis eorum veris Accidentibus remanentibus. Hæc secundum suam naturam absoluta esse si negentur, uti revera negantur a nupernis Philosophis, non leve aliquod periculum Sacramento Altaris facessit. *Qui enim* inquit *Theodoret*: (c) *corpus naturale f umentū & panē appellavit & vi ē rursus se ipsū nominavit, is visibilia symbola corporis & sanguinis appellatio e honoravit non naturam mutans* (symbolorum) *sed naturæ gratiam* (substantialem, nempe per corporis præsentiam) *ad ens.*

CLXVIII.

Solis Apostolis eorumque in Ministerio Domini Sucessoribus, ijs verbis *Hoc facite in meam commemorationem*, potestatem dedit Christus Eucharistiæ

consi-

(c) Dialog: 1.

conficiendæ. Idcirco neque fæminæ juxta *Montanistarum* ac *Marcitarum*, errorem, nec Laici justi juxta *Waldenses*, multominus impij juxta *Lutherum* sed Eppiscopi ac Præsbyteri ejusmodi facultate insigniuntur, ac dispensandæ ordinarj sunt Ministri Laicis fidelibus; Hos neque divinum præceptum, neque salutis necessitas obligat ad communionem, sub utraque specie sumendam, cum non plus conferatur gratiæ ex opere operato, suscipienti sive utramque speciem, sive unicam.

CLXIX.

Græci recentiores cum Novatoribus, ex consvetudine Ecclesiæ XII. primis sæculis Eucharistiã infantibus dispensantis, gravissimis de caussis exolita, deducunt Sacramentum hoc necessarium esse necessitate medij, tam adultis quam parvulis: At proculdubio necessaria solum est, necessitate præcepti divini, quod ut effectuetur, illius adimplendi modum & tempus peculiari lege sanxit Ecclesia, in Oecumenico Concilio *Lateranensi* IV. *ut omnis utriusq; sexus fidelis* in annis discretionis constitu-

ſtitutus ſemel tantum in Anno in Paſchate ſaltem communicet. Jd tamen non impedit quo minus frequentiſſime Euchariſtia ſumatur, ſtatu animæ perpenſo a *Seraphico Bonaventura* (*f*) oſtenſo: *ſi videas te in ſtatu primitivæ Eccleſiæ, laudandum eſt quotidie communicare; ſi autem in ſtatu Eccleſiæ finalis, ut pote frigidum & tardum, laudandũ eſt quod raro; ſi autẽ medio, medio modo debes te habere.* Plures ſunt præſtantiſſimi Euchariſtæ effectus, peccatum tamen mortale ordinarie non remittit: niſi pſeudo-cæna in rictu *Lutheri*: ad quam ait is nebulo, (*g*) *optima diſpoſitio, qua peſſime homo eſt diſpoſitus.*

CLXX.

Euchariſtia diverſo reſpectu Sacramentum eſt, ſimul & *Sacrificium*, quo nomine latius patente, *omne opus quod agitur, ut ſancta ſocietate in hæreamus Deo:* intelligit *Auguſt*: (*h*) proprie acceptum, ſignificat oblationem externam rei ſenſibilis & permanentis, ſoli Deo a legitimo Miniſtro factam, per realem hoſtiæ immutationem, in prote-

ſtanti-

(*f*) in 4. diſt: 12. p. 2. Art. 2. (*g*) l. de præpar: ad Euchar: (*h*) l. 10. de Civit: Dei: c. 6,

stationem supremi ejus dominii in omnes creaturas. Nullam credimus Religionem extituram vel extitisse, cui Sacrificium pro basi non sit. Hinc etiam in statu innocentiæ, si durasset, ultra interni & spiritualis, etiam externi Sacrificij usum fuisse futurum non dubitamus. Lex certè naturæ paucis, Sacrificijs, Scripta innumeris, in Novæ Legis Sacrificio coadunatis abundavit, quod a Christo perfectum est, quando in Ara crucis se ipsum pro nobis, Deo Patri obtulit. Tantum vero abest, ut assentiamur *Luthero* effutienti, injuriã irrogari per quodcunque satisfactorium opus Sacrificio Crucis, ut potius contendamus, voluisse Christum Dominum illud Sacrificium ad consumationem sæculi in Ecclesia repræsentari, illiusque virtutem specialius applicari per sui Corporis & Sanguinis, sub speciebus panis & vini contenti oblationem, quæ verum & proprium Sacrificium est, non solum *Lautreticum* & *Eucharisticum*, sed etiam *impetratorium* & *propitiatorium*, pro vivis ac vita functis in Christo offerendum.

)(†)(

CLXXI.

Varijs nominibus inſignitum, tremendum Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacrificium legere eſt: potiſſimum tamen ab Orientalibus *Liturgia* ab Occidentalibus *Miſſa* a verbo *mitto* juxta Cardinalem *Bona* (*i*) nominatur. Ex parte Miniſtri ſacrificantis varijs actionibus, ſeu partibus conſtat, aſt ſola oblatorum conſecratio, reſpiciens ſumptionem tanquam finem & terminum extrinſecum, eſſentialis illius pars, & ſi unica & ſola ſpecies conſecraretur, ratio Sacrificij incruenti ſubſiſteret, utriuſque tamen requritur ad illius integritatem, & evidentiorem ſignificationem oblationis cruentæ. Unde *Bernardus* (*k*) reſpondit: Sacerdotem qui poſt conſecrationem in decurſu *Liturgiæ* advertit aquam ſolam infuſam fuiſſe in calice, non teneri infundere vinum & conſecrare. Proprie loquendo nulla *Miſſa Privata* eſt, talis nihilominus dici conſvevit, vel quia non fit in ſolemni & publico fidelium cætu, vel quia abſque Sacrorum Miniſtrorum adminiculo privatim abſolvitur. Nullũ autẽ Theologicũ demonſtrat argumentũ

Miſ-

(*i*) l. 1. Rer: Liturg: c. 1. (*k*) Epiſt: 69.

Missas privatas esse illicitas, aut pravo fine, quæstus turpis ergo introductas, has dum *Luther*: libro de abroganda Missa dæmone insuflante ut ipse fatetur (*l*) conscripto, sapientissime ab *Jmperatore Carolo* V. redarguitur. *Super omnia reprehensione dignum est, quod Missæ privatæ in quibusdam locis desierint. Hac enim abrogatione Missarum cultus Dei minuitur, Sanctis subtrahitur honor, debitis defuncti spoliantur suffragijs, & vivorum devotio aufertur.*

CLXXII.

Sub speciebus Sacramentalibus Christus realiter præsens primario offertur in Missa ad laudem & gloriam Dei, ejusque supremi dominij recognitionem, idcirco valor illius quo ad sufficientiam, atque principalis offerentis, nempe Christi meritum infinitus est; quo ad efficatiam & applicationẽ finitus: ita, quod effectus Sacrificij pluribus applicatus minus prosit, quam si soli uni duntaxat subjecto capaci applicetur; In quo reatus culpæ remissionem mediatè, quatenus nempe intuitu illius Deus largitur peccatori gra-

(*l*) Tom: 7.

tias actuales moventes ad pænitentiã, reatus vero pænæ temporalis immediatè, saltem ex parte operatur per modum impetrationis, quæ impetratio habetur per Missæ Sacrificium ex opere operato. Quum autem fideles, nisi impotentia morali aut officijs charitatis vel justitiæ impediantur, obligentur jure Ecclesiastico in Divino fundato se sistere præsentes, festivis & Dominicis diebus integro Missæ Sacrificio, suæ obligationi morem gerunt, dum in Ecclesia Mendicantium audiunt Missam, vel ipsa consvetudine posteriori, legem contrariam abrogante, apertissimum est:

CLXXIII.

Post violatã Baptismi fidem, commisamque naufragio conscientiam, aliud Sacramentum non subest nisi *Pænitentiæ*, quam, si accipiatur pro Virtute, cane pejor & angve *Lutherus*, solam resipiscentiam, nudam cessationem a peccato, vitæ novæ institutionem censuit, ex Græca dictione *Metanian*, malens esse Grammaticus quam Theologus, sed utriusque hoc

in

in caſu nihilum. Nam *pænitere eſt pænam tenere*, ait Author libri *Auguſtino* attributi,(*m*) ut *ſemper puniat in ſe homo ulciſcendo, quod amiſit peccando.* Eſt igitur virtus ſpecialis aquiſita non infuſa, ad Juſtitiam vindicativam reducenda: habens pro ſubjecto quemlibet hominem non peccatorem modo, ſed & innocentem, Chriſtum nempe ac ejus Jmmaculatam Matrem: pro Objecto formali quodlibet peccatum ut vindicabile. Ejuſmodi virtus homini lapſo non tantum ex inſtitutione divina ac præcepto, verum ex ſui natura medium eſt, ad æternam ſalutem conſequendam, ſimpliciter & abſolute neceſſarium.

CLXXIV.

Ut alias contractum maris & fæminæ ad individuam vitæ ſocietatem ineundam, ita & virtutem Pænitentiæ in baptiſatis ad dignitatẽ Sacramenti Chriſtus evexit: proinde verum eſt ac proprie tale Sacramentũ Novæ Legis, in ratione judicij reconciliativi inſtitutũ illis verbis:(*n*) *Accipite Spiritũ S. quorũ remiſeritis peccata remittuntur eis & quorum retinueritis retenta ſunt*; a Baptiſmo

(*m*) de vera & falſa Penit: c. 29. (*n*) Joan: 20.

ſmo & ejus memoria realiter diſtinctū, multo magis a prædicatione Evangelij, quod *Calvini* negant *Materia circa quam* verſatur, geminum hæreticorum patitur errorem, unum, *Lutheri* peccata venialia excludentis, alterum *Montaniſtarum & Novatianorum*, poteſtatem Eccleſiæ remittendi graviora quædam peccata inficiantis, ſed inſulsè: ſiquidem poteſtas illa ſe extendit ad omnia, omino ſive leviora, ſive graviora peccata poſt Baptiſmum commiſſa, ita tamen, ut venialia, ſint *materia circa quam* duntaxat ſuffiiciens, lethalia vero, neceſſaria. *Materiam ex qua* ſeu proximam, non quidem inconcuſſos conſcientiæ terrores, fidemquæ ex Evangelio vel abſolutione conceptam prout docebat *Lutherus*, neque mortificationē aut vivificationē juxta *Calvininum* ſenſum, neque tres actus pænitentis dicimus, aut quid piam his ſimile a Theologis hactenus inventum. Quid ergo? communem illam Theologorum Pariſienſium opinionem dum Synodus *Tridentina* habebatur, teſte *Paulo Sarpio* (o) a Subtili Doctore acceptam

(o) L. 4. Hiſt. Concil: Trident:

ceptam propugnamus, videlicet: Neque esse de fide, neque ad eam accedere, Contritionem Confessionem & Satisfactionem essentialiter Sacramentum Pænitentiæ constituere; quare hi actus, sunt tantum modo partes integrales & *quasi materia* ait *Tridentinum* (*p*) Absolutio Sacramentalis tota Essentia ejusdem.

CLXXV.

Duri cujuspiam corporis in minutissimas partes comminutio, & cordis per peccatum obdurati compunctio, vera *Contritio* est, illa *physica*, *hæc Moralis*. Genericè sumpta, est *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*. Dolor hic quantumcunque existimetur verus supernaturalis, reapse autem talis non sit, Contritio absolute non est: Hæc enim debet esse proprie vera, supernaturalis, summa appretiativè non intensivè, Universalis, sive ad omnia penitus mortalia extensa, habens annexum votum præstandi omnia, quæ Sacramentum Pænitentiæ exigit, cum per id in certa specie constituatur. Præ-

ceptum

(p) Sess: 14. c. 3.

cepũ naturale, divinũ & Ecclesiasticũ contritionis seu pænitentiæ agendæ quantũ obliget peccatorem in probabili mortis Articulo, & multoties in vita? extra omne dubium est. Non tamen illico obligat ac partũ peccatũ est. Nihilominus per se tenetur pænitere toties, quoties deliberatos cogitatus in peccatis figit, commissis vel dimissis. Jmo, probabile admodũ piumq; ducimus, impium licet per accidens obligari ad pænitendum de actis & non expiatis flagitijs, diebus festivis, ac in plurimis alijs circumstantijs, tali enim pacto contritio, cuicunque charitatis gradui conjuncta ad veniam peccatorum obtinendam sufficiet. Neque enim *Contritio perfecta* aliquando tantum & in casu necessitatis ut, placuit *Estio* magnæ notæ Theologo (q) sed semper hominem Deo reconciliat sine reali susceptione Sacramenti, dum modo adsit votum illud oportunè suscipiendi.

CLXXVI.

Atritionis nomen Patribus ac Theologis primoribus plane inauditum medio XIII. sæculo emersit, usurpatum primum a nostro *Alexandro de A-*

les

(q) in 4. Dist: 17.

les, imperfectum dolorem peccatorum denotat. Quomodo autẽ a perfecto deflectat? multifariam loquuntur Theologi, clarissime eos inter subtilis Doctor: (r) *Attritio non tantum non excludit, sed omino includit Dei amorem, quia versatur circa peccatum non solum quatenus inducit pænam, aut privat beatitudine, sed etiam quatenus offendit Deum. . . . . Ut vera sit, debet esse totaliter & perfecte circumstántionata· non esset autem circumstantionata in genere moris, sine recto fine, qui solus Deus est.* Quo ex loco colligimus Contritionem ab Attritione tantum distare, quantum dolor charitate perfectus a se imperfecto Quando autem dolor is, vel ex turpitudinis peccati apprehensione, vel ex gehennæ & pænarum metu concipitur, tantum abest ut hominem hypocritam & magis peccatorem faciat, quod blasphemo ore evomuit *Luther:* quin imo secundum sui substantiam spectatus, cum spe veniæ ac proposito non peccandi de cætero conjunctus, bonus est, laudabilis, ipsiusque Dei maximum donum: Num

vero

(r) in 4. Dist: 14. q. 1.

vero ex prætenſis motivis attritio exorſa, eſto initialem charitatis amorem non includat, ſufficienter diſponat, ad juſtificationem in ſacramento ſuſcipiendam in via *Ublis Scoti*; viderint alij, Jd quum neque PP. ante-Tridentini, neque *Tridentinum* (*s*) definierit, non ſufficere arbitramur. Jdcirco amor in pænitente requiſitus ut gratiam in Sacramento Pænitentiæ recipiat neceſſario debet eſſe charitatis, non concupiſcentiæ.

CLXXVII.

Palpabile ſatis putidumque mendacium Novatorum, eſt, quo comminiſcuntur Confeſſionem Sacramentalem ad aures Sacerdotis faciendam omnibus in peccatum mortale lapſis jure divino præceptam, primò occaſione *Novati* in Eccleſia emerſiſſe: *Nectarij* Conſtantinopolitani Epiſcopi temporibus ſublatam, iterum *Innocentium* III. in Concilio *Lateranenſi* IV. reſuſcitaſſe: Viguit enim illa primam inter multitudinem credentium, *veniebant confitentes & anunciantes actus ſuos*, (*t*) traducebatur ſæculis, ac interrupto Ec-

(*s*) Seſſ: 14. c. 4. (*t*) Act: 19.

clesiæ usu servabatur a fidelibus, eos haud aliter obligante ad illam præcepto divino, quam nuper de præcepto Contritionis diximus. Semel saltem in anno omnia peccata confiteri jubet proprio Sacerdoti *Canon Lateranen:* quo nomine quanquam proprius Parochus intelligatur, eo tamen Canone, non derogatur juribus Papæ & Episcoporum. Quamobrem satisfacit fidelis præcepto Ecclesiastico, cuicunque is confiteatur Sacerdoti, Sæculari sive Regulari, simpliciter & indefinite ab Episcopo approbato, absque consensu proprij Parochi: Quod si a mortalibus immunis, venialium tantum sibi conscius sit, ad annuam confessionem probabiliter non adstringitur.

CLXXVIII.

Inter cæteras Sacramentalis hujus confessionis proprietates sedecimo numero conclusas, profecto excellunt integritas atque sigillum. Jlla non quidem materialis sed formalis ut plurimum exigitur, hinc omnia & singula peccata mortalia, tum quo ad numerum & speciem, tum etiam quo ad circumstan-

cumſtantias intra eandem ſpeciem notabiliter aggravantes neceſſario declarari debent, quæis declaratio ut publice de peccatis ocultis fiat, tametſi ob humiliationem pænitentis, & aliorum ædificationem probanda foret, nullo tamen præcepto divino demandatur. Sigilli vero ſtricte ſervandi lex, a naturali, poſitivo divino, atque Eccleſiaſtico jure imponitur Sacerdoti, cui Sacramentaliter peccata revelantur, quique ideo Sacrilegij reus judicandus, ſi ea, etiam ſublato e vivis pænitente, cuipiam revelaret, vel eorum cognitione uti præſumeret, ad ſuam aut alienam exteriorem utilitatem.

CLXXIX.

Quia Pænitentia dicitur a pæna, quæ maxime in ſatiſfactione elucet, & plena ac cumulata ſatisfactio pro offenſa infinita, debeat eſſe infiniti valoris, ſolus Chriſtus Deus & homo, illam exhibere potuit, *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris:* (u) Noſtræ tamen ſatisfactiones vim & meritum ſatisfactionis Chriſti, non modo non injuriant, aut aliqua ex parte diminuunt, ut garriunt

(u) 1. Joan: c. 2.

riunt Novatores, ſed contra amplius demonſtrant ac commendant. Unde ſatisfactio poſtrema pars Sacramenti Pænitentiæ, non eſt tantum novæ vitæ cuſtodia, infirmitatis medicamentū aliorumque exemplum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & compenſationem pænarum temporaliū peccatis quo ad culpam dimiſſis debitarum. Varijs modis ea peragitur, potiſſimum tamen oratione, eleemoſyna & jejunio, tantaque debet eſſe, ut pro pænitentis facultate & diſpoſitionibus, correſpondeat reatui pænæ temporalis majori vel minori pro criminū qualitate. Tametſi ergo non teneatur Sacerdos injungere pænas canonibus Eccleſiæ determinatas ac præſcriptas, tacite relaxatas habita ratione infirmitatis fidelium, *ne infirmus aliquis* ſcribit *Angelicus Doctor*, (*w*) *ex magnitudine pænæ deſperet, & a pænitentia totaliter recedat:* eorum nihilominus notiam habeat neceſſum, tum ut peccati gravitatem ad pondus Sanctuarij libret, tum ut oculis pænitentium ſubijciat

quibus

(*w*) in Supplem: q: 18. art: 4.

quibus ſint obnoxii pænis, etiam dimiſſa culpa.

CLXXX.

Florente in Eccleſia publica Pænitentia, nunquam illi ſubijciebantur, omnia penitus & ſingula peccata, ſed ſola canonica tametſi oculta, Jdololatria, nempe mæchia, & homicidium, non ſemper tamen cum eodem rigore; nam a tempore Apoſtolorum uſque ad *Montani* hæreſim II. ſæculo natam breve fuit penitentiæ ſtadium, ipſe Apoſtolus inceſtuoſum pænitentem, intra unius anni ſpatium Eccleſiæ reconciliari voluit. (*x*) A *Montano* ad *Novatum* ad medium circiter III. ſæculi ſeverius & prolixius, quo eriperetur locus incuſandi, ut ſolebant impoſtores hi, nimiam Catholicorum in concedenda lapſis venia facilitatem. A *Novatianis* ſeveriſſima cæpit circa penitentes diſciplina; cum enim hactenus nullum fuiſſet tempus lugendæ pænæ præſcriptum, ſed totum arbitrio Epiſcoporum ac prudentiæ commiſſum, creditur tunc inſtitutas ſolemnes pænitentium ſtationes, *Flentium* ſcilicet *Audi-*

entium

(*x*) 2. Corinth: 2.

entium, Subſtratorum, & Conſiſtentium, ab Epiſcopis, pro pænitentium interdum ſola conſiſtentia donatorum, fervore temperatas. Ab ijs autem pænitentiæ gradibus, a Sæculo IV. Clerici majores immunes erant: *Honorum duntaxat dignitate ſervata*, ait *Iſidor a Sacerdotibus & Levitis, Deo tantum teſtè, fiat* (pænitentia) *a cæteris vero adſtante coram DEO ſolemniter Sacerdote:* (*y*)

CLXXXI.

Sententia qua Sacerdos tanquam Judex a Chriſto delegatus peccatorem confeſſum, contritum & ſatisfacere paratum abſolvit a vinculis peccatorum, Forma Sacramenti Pænitentiæ eſt, ad cujus veritatem iſta duo ſufficiunt; *Abſolvo te:* Ex inſtitutione Chriſti adeo eſt indicativa, ut nec unquam fuerit, nec eſſe potuerit verbis deprecativis facta: unde minus ſincerè bene multi, natam dicunt, X. inter & XIII. ſæculum formæ indicativæ neceſſitatem. Tenentur Sacerdotes abſolutionem denegare, aut differrè confeſſis indiſpoſitis, nec ſanctum dare canibus,

ſangui-

(*y*) l. 2. de offic: Eccl: c. 16.

ſanguinem teſtamenti polutum ducere, & tradere in manus peccatorum, ne ſubſint veridico Cypriani (z) judicio, exiſtimantis Eccleſiam minus paſſam eſſe a crudeliſſimis tyrannis, quam ab infidis Confeſſariis: *emerſit* inquit *novum genus cladis, & quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens & blanda pernicies.* Hanc tamen criſim non incurrit, confeſſarius ille qui homini animam agenti, probo & catholico, abſque ullo ſigno probabili, ſive dubio de ejus diſpoſitione, ac deſiderio confitendi, abſolutionem impertitur, dummodo ei conſtet, eum Chriſtianam vixiſſe vitam.

CLXXXII.

Effectus Sacramenti Pænitentiæ proprius & Principalis, eſt peccatorum actualium remiſſio gratuita, ac pænæ æternæ; temporalis autem pro majori vel minori pænitentium diſpoſitione imminutio. At unum peccatum mortale abſque alio ordinaria Dei lege attenta non remittitur, nec ejus omnes reliquiæ penitus abſterguntur. Pecca-

ta verò

(z) Serm. de lapſis.

ta verò per ejuſmodi Sacramentum expiata, aliorum ſubſequentium virtute, certò nullatenus reviviſcunt quum id ſolis operibus bonis proprium eſſe, alibi dixerimus: probabilius imo videtur nec quantum ad maculam & reatum, etiamſi in apoſtaſiam a fide, contemptum clavium quis inciderit, ejuſmodi peccata poſſe redire. *Sanat ergo* Pænitentia inquit *Auguſtin: contritos corde, ſanat confitentes, ſanat ſe ipſos punientes, in ſe verum judicium exercentes, ut poſſint eſſe plene illius miſericordiam ſentientes.* (*a*) Jſthæc omnia de Sacramento pænitentiæ declarata nobis perſvadent, nuſquam illud poſſe validum eſſe, ſeu ex omnibus ſuis partibus integratum, & ſimul ſuo effectu fruſtratum, ſive informe.

CLXXXIII.

Noviſſimi & primi *Luther:Calvin:* eorumque fautores, Sacramentum exeuntium, Oleum infirmorum, unctionẽ ſacrati olei, ſeu *Extremam Unctionem*, contra ac perperam de ſede Sacramentorum deturbarunt, quibus Catholicũ hoc Dogma pluribus ſolidiſſimis mo-

M numen

(*a*) Enar. in Pſal 146.

numentis, potissimum vero auctoritate Jacobi (*b*) palam indigitari posse non dubitamus. Materia illius est oleum olivarum benedictum ab Episcopo, vel a Sacerdote ex ejus commissione: benedictio tamen illa non est necessaria necessitate Sacramenti Extremæ Unctionis, sed necessitate præcepti Ecclesiastici. Circa corporis partes ungendas non una est, nec olim fuit Ecclesiarum praxis. In Orientalibus, frons, mentũ, genæ, manus, pedes, deliniebantur: In Occidentalibus VI currente Sæculo, etiam collum, guttur, scapulæ, ac præsertim illa corporis pars, quæ vividiori doloris sensu cruciabatur: inde colligimus, esto VII. unctiones in Rituali Romano præscriptæ prætermitti non debeant, ad Sacramenti tamen substantiam potest una unctura sufficere.

CLXXXIV.

In oratione sacræ Unctioni connexa, *Forma* hujus Sacramenti consistit, quæ fide Magistra, quanquam in verbis deprecativis sit legitima, non tamen ita necessario, quin valide conferre-

(*b*) Capite 5.

ferretur Sacramentum ſub verbis indicativis. Soli Epiſcopi & Præsbyteri jure divino miniſtri ſunt Unctionis Extremæ, quorum unus ſufficit, nullo enim præcepto divino ad infirmum ungendum ſeptem Sacerdotes requiruntur, quos Orientales ubi commode haberi poſſunt, nunc quoque inducunt. Omnis & ſolus fidelis ratione aliquando fruitus, mortali morbo laborans, proprium eſt ejuſmodi Sacramenti ſubjectum, quapropter ritus Latinus, Græco ritui ſanis Unctionem adhibenti præferendus videtur, utpote Authoritate ſcripturæ fultus, ac Traditione, cujus non eſt invenire initium. Effectus tandem primarius & principalis illius, eſt gratia habitualis, quatenus habet annexam remiſſionem finalem peccati venialis, & quandoque mortalis, ſed per accidens.

CLXXXV.

Quandoquidem Novatorum genus Eccleſiæ perduelle, maxime ab odio Clericalis Ordinis, & nimia Laicorum, quorum favore crevit adſentatione exorſum, nihil miri quod con-

tendat omnes Christianos æqualiter Sacerdotes esse & Evangelij Ministros: affabre illud depingitur in veteribus Hæreticis: a *Tertuliano*, (c) *Ordinationes eorum* inquit *temerariæ, leves, inconstantes, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros collocant, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est. Itaque alius hodie Episcopus cras alius: hodie Presbyter, qui cras Laicus: nam & Laicis Sacerdotalia munera injungunt.* Inconcussum propugnamus Catholicæ Religionis dogma: *Ordinem* pro Sacra *Hierarchia* acceptum, in qua ex divina institutione, varij deputantur Ministri ad Sacra obeunda munia, a quolibet Laicorum hominum ordine distinctum esse, verum ac proprie dictum Novæ Legis Sacramentum.

CLXXXVI

Ab ipsis Religionis Christianæ cunabulis, semper Ecclesia Latina; (Græca namque a M. & amplius annis IV. tantum,) VII. numeravit Ordines, *Ostiaratum* nempe, *Lectoratum*, *Exorcistatum*

tum

(c) lib: de præscript: c. 41.

tum, *Acolythatum*, *Subdiaconatum*, *Diaconatum* & *Præsbyteratum*: *Episcopi* si quidem nomen olim commune Sacerdotibus primi & secundi Ordinis ex Epistola *Philippensium* eruit *Chrysostom*: (*d*) *Quid hoc sibi vult?* (quod Apostolus bene precetur Sanctis qui sunt Philippis & Diaconis, nulla facta Presbyterorum mentione,) *Itane unius civitatis plures erant Episcopi? nequaquam: sed hoc titulo designat Presbyteros, tunc enim temporis, adhuc vocabulum erat commune.* Usus tamen deinceps obtinuit, ut soli majores Sacerdotes appellarentur Episcopi idest speculatores, Antistites, idest ante Clericos stantes, iisq; præsidentes, Pontifices ac Ecclesiæ Principes apud *Ignatium M.* (*e*) Episcopatus ergo quo datur Ptesbytero Potestas conferendi Sacramenta Confirmationis & Ordinis, regendique Ecclesiam ipsi commissam, est ordo proprie dictus a Presbyteratu distinctus, ipsoque superior tum potestate Ordinis tum Jurisdictionis ex jure divino; quod nunquam *Hieronymus*, (quid quid

adversus

(*d*) homil: 1. (*e*) Epist: ad Smyrn:

adverſus eum clament oſores noſtri) inficiatus eſt.

CLXXXVII.

Eſſentialis *materia* Epiſcopatus eſt ſala manuum impoſitio, a tribus Epiſcopis facta: *Forma* vero ſunt hæc verba impoſitioni manuum correſpondentia: *Accipe Spiritum Sanctum.* Cætera vero ad ſolam integritatem Ordinationis pertinere videntur, quâ mediantê juriſdictionẽ accipit Epiſcopus a Chriſto ſed non immediate. Vicarij Epiſcoporum, ideſt Chorepiſcopi inquit *Iſidorus* (*f*) *juxta quod Canones ipſi teſtantur inſtituti ſunt ad exemplum LXX. Seniorum, tanquam Sacerdotes, propter ſollicitudinem pauperum.* Horum aliqui conſecratione Epiſcopali inaugurati erant, vel quia a ſua ſede pulſi, vel quia ab hæreſi ad Eccleſiam Catholicam redibant: Alij autem, ſimplices Sacerdotes in pagis, vicis, & oppidis Epiſcoporum vices gerentes, quales apud nos reveremur Suffraganeos, Epiſcopalia munia obeuntes.

CLXXXVIII.

Presbyter ſecundum nominis etymolo-

(*f*) l. 2. de Offic. Eccl. c. 6.

mologiam ætatis nomen eſt, Seniorem ſonans, ab ijs qui ſcripſere poſt Aoſtolorum tempora paſſim ſumitur pro miniſtro Eccleſiæ cum dependentia Epiſcopi præſidente Sacerdos vocatur a Sacrificio, cui offerendo ſpecialiter conſecratur per manuum impoſitionem. Certiſſimum enim eſt ſolam manuum impoſitionem noſtra quoque tempeſtate eſſe apud Græcos materiam eſſentialem & adæquatam Presbyteratus. Unde cum ante annum milleſimum, traditio calicis cum vino, patenæ cum pane ſuperimpoſito non fuerit in uſu credibile admodum eſt, in Eccleſia Latina manus impoſitionem ordine ſecundam, materiam adæquatam dici debere, Ordinatus tamen quo caſu juxta Romani Pontificalis præſcriptū non conſecraretur, utrique Ceremoniæ in Ordinatione fieri ſolitæ, teneretur ſe ſe ſubjicere. Jdem nobis de materia Diaconatus ſermo: Forma horum majorum Ordinum ſunt verba imperativa: *Accipe Spiritum Sanctum &c.*

CLXXXIX.

Ordo Subdiaconatus ad majores

Ordines

Ordines a Patribus & Sacris Concilijs relatus, cum Ordinibus minoribus, institutionem ſuam accipit a Chriſto Domino. In Romana Eccleſia ſpoliati primitus incedebant Subdiaconi, nullis ſcilicet peculiaribus ſacris veſtibus induti ſua exercebant munia, donec Romano cuidam Pontifici placuit, ut veſtiti incederent. A Romana autem *ait Bona* (g) ad alias Occidentis Eccleſias eadem inſtitutio propagata eſt, quâ occaſionê cæpit hic Ordo a Minoribus ſeparari, & Majoribus ac Sacris accenſeri. Nam cum prius extra Sanctuarium conferri ſoleret, invaluit poſtea quorundam Epiſcoporum conſvetudo, eum intra Miſſarum ſolemnia conferentium, & ita ſenſim Majoribus æquiparatus eſt. Tardius ergo, concludit *Martene* (h) inter Sacros Majores ordines Subdiaconatus annumerari cæpit; plane necdum exeune ſæculo XI. Ea de cauſa: quamvis ſatis plauſibilis ſit, & etiam probabilis ſententia Recentiorum, negantium Subdiaconatum ac IV. Minores, eſſe vere & proprie Sa-

cramenta

(g) l. 1 Rer. Liturgic: c. 25. (h) de antiq. Eccl: ritibus c. 8.

cramenta, nihilominus noſtra affirmativa veroſimilior ac probabilior eſt.

CCXC.

Prima tonſura verè & proprie loquendo ordo dici nequit, ut Canoniſtæ prætexunt, ſed ſola ad ordines ſuſcipiendos preparatio, ſimplexque ad divini Cultus miniſterium deputatio. Tonſurari, imo minoribus ac Majoribus Ordinibus valide initiari poſſunt pueri ante uſum rationis, cum ſubiectum capax Sacræ Ordinationis, ſit quisque homo viator, Baptiſmo donatus, non tamen mulieres, in quibus ea intentata irrita prorſus erit, ac nulla, quidquid ſecus *Montaniſtæ* alijque fatui muliebis ſexus adulatores hæretici quidam ſenſerint. Ordinario jure Miniſtri Sacramenti Ordinis ſunt Epiſcopi. Minorum Ordinum collatio Abbatibus, (dummodo ſint Sacerdotes, & Benedictionis munus ab Epiſcopo acceperint, vel ſaltem Apoſtolico Privilegio muniti ſint ad hoc, ut quamvis non benedicti omnia præſtare valeant, quæ fieri poſſunt ab Abbatibus benedictis,) reapſe competit. De ſpeciali autem Ro-

mani Pontificis gratia etiam Majores Ordines Subdiaconatum & Diaconatum, (quod *Innocencius* VIII. concessit *Joanni Abbati* Cistertij) dispensare possunt.

CXCI.

Clericorum Majorum Cælibatum in Concilio Nicæno I. statutum, his profert *Socrates*: *Visum erat Episcopis novam legem in Ecclesiam inducere ut quicunque in Sacrum Ordinem allecti essent, idest Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, ab uxorum quas cum Laici essent, matrimonij jure sibi sociaverant, concubitu abstinerent. Cumque hac re in medium proposita, singulorum sententiæ rogarentur, surgens in medio Episcoporum consessu, Paphnutius, vehementer vociferatus est: non esse imponendum grave hoc jugum, honorabiles nuptias, & thorum immaculatum esse dicens: &c. Eadem ex Socrate* mutuatus *Sozomenus*. Historia hæc sublestæ fidei est: Nam perpetuæ continentiæ lex qua Sacri Ministri tum apud Orientales tum apud Occidentales VI. primis sæculis obstringebantur Apostolica est; a *Nicæna synodo* (*i*) gravissimis

(*i*) Can: 3.

gravissimis de Causis præcepta, a *Siricio* Papa, alijsque Pontificibus, & subsequentium Conciliorum decretis roborata. Hujus disciplinæ legisque Sanctimoniam, uti & trium votorum Religiosam professionem lepide satis impugnant hæterodoxi

CXCII.

Effectus Ordinis est gratia habitualis, gratia Sacramentalis, & character. Stupendæ hujusce gratiæ Sacramentalis in primis Ecclesiæ Ministris cernebantur virtutes, dū per impositionē manuum simul cum gratia sanctificante dabatur Scripturarum scientia, intelligentia, aliaque charismata, tunc necessaria ad gentes convertendas, sed ubi crevit Fidelium numerus, desierunt ordinationis miracula, ut pote jam minime necessaria, *ne* inquit *August*: (k) *animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret, genus humanum, quorum novitate flagravit.* Nedum vero in Ecclesia Catholica hoc Sacramentum susceptum characterē semper impressit, ac imprimit, sed etiam in Græca non unita, unde Episcopi Schisma-

(k) lib: de vera & falsa Relig: c. 25.

*Schismatici, Simoniaci, Suspensi, vel Excommunicati, valide ordinant, licet ab ijs ordinati a receptorum Ordinū ministerio suspendantur.

CXCIII.

Matrimonium, etymologisat *Augustin.* (l) *ex hoc appellatum est, quod non ob aliud decat fœmina nubere quam ut mater fiat.* Prout est naturæ officium, aptè definitur: *viri & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam vitæ consvetudinē retinens;* contractus est ex ipsa naturali lege originem ducens, a positiva dein confirmatus. Eam ob rem illud ex se bonum esse honestum ac licitum contra *Saturnianos Simonis* Magi discipulos, *Marcionitas, Manichæos*, aliosque ejusdē fæcis nebulones, cum Ecclesia adseveramus: *Vigilantij* illud Virginitati æquantis dedignantes errorem *Qui enim* ait Apostolus (m) *matrimonio jungit Virginem suam bene facit, qui non jungit, melius facit. Ad quæ verba Hieronym:* (n) *Tantum est* inquit inter nuptias & Virginitatem, quantum inter non peccare & bene facere, imo ut levius

(l) l. c: 9. cont: Faust: c. 26. (m) 1. ad Corint: 7. (n) l. contr: Jovian:

vius dicam, quantum inter bonum & melius.

CXCIV.

Essentiam Matrimonij ut est contractus naturalis & civilis *Julianus Pelagianus* reposuit in carnali conjunctione, *Nihil aliud dicis esse nuptias* alloquitur eundem *Augustin:* (o) *quam corporum commixtionem.* Ad hanc sententiam inclinasse videtur *Gratianus* (p) ante consumationem verum esse matrimonium negans. Non desunt è Schola Theologi eidem adstipulati. Quos contra genuina veritas est: Matrimonium in facto esse, non constitui per usum & commixtionem corporum, sed per conjunctionem animorum seu nexum perpetuum, qui ex consensu virum inter & mulierem resultat: ac per consequens Castissimum Josephum inter, & immaculatam ejus Sponsam, veri nominis extitit Matrimonium. *Hoc enim exemplo* (q) *subjungit Augustin: magnifice insinuatur fidelibus conjugatis etiam servata pari consensu continentia, posse permanere, vocarique conjugium,*

non

(o) l. 5. c. 16. (p) Cap: Quos autem; (q) l. de consens: Evangelist.

non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.

CXCV.

Quandoquidem Matrimonij institutio ac præceptum a statu Innocentiæ eggressum, toti hominum communitati necessarium, legem naturæ ac Scriptā pertransierit ac hucusque persistat, num obligaret? si ad tam exiguum numerum reducerentur homines, ut nisi qui vivunt nupserint, timeri possit exitium humani generis? *Noli metuere* respondebat hanc hypothesim objicienti sibi *Joviniano Hieronymus, ne omnes Virgines fiant. Difficilis est Virginitas, & ideo raro quia difficilis.* Esto ergo institutionem suam Paradiso debeat Matrimonium, Sacramenti attamen dignitatem ac efficaciam, in sola Lege Evangelica ex institutione Christi nactū est. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico (r) in Christo & Ecclesia.*

CXCVI.

Infidelium contractus matrimoniales dum resipiscunt, & per lavacrum regenerationis Ecclesiæ Christi incorporantur nequaquam Sacramentum fiunt

(r) ad Ephes. c. 5.

ſint. Quando vero vir fidelis cum muliere infideli aut viciſſim, Matrimonio in facie Eccleſiæ conjunguntur, ex parte ſolius fidelis Sacramentum eſt, quum de ſui natura ac eſſentia contractus fidelis, non deficiat a ratione ſigni ſenſibilis, gratiam in ipſo operantis. Filij Familias abſque Parentum aut Tutorum conſenſu Matrimonium contrahentes graviter quidem peccant, at contractus eorum etiam reluctantibus Parentibus factus, ratus ac validus cenſendus eſt.

CXCVII.

Claſſicum certe ex doctrina Florentini cuique videtur: unumquodque Sacramentum *tribus perfici materia forma & intentione Miniſtri*, hæc quia ſilentio præteriit in præſenti Sacramento, tantum de ijs cotendere animis eruditos comperimus, quantum ſalva ſemper ejus ſubſtantia licet. Sua promant alij: Nobis noſtra ſunto; Materiam *remotam* Sacramenti Matrimonij ipſa contrahentium corpora: *proximã* mutuam dominij in illa traditionem; *Formam*, mutuũ nubentiũ conſenſum

verbis

verbis de præsenti, aut nutibus expressū *Ministrum*, ipsos contrahenres esse sustinemus, non vero quod plerumque Recontioribus arridet, Socerdotem Parochum.

CXCVIII.

Polygamia, monogamiæ ex diametro opposita, tam stricta lege naturæ prohibita, inducitur a *Calvino*, ut veteres Patriarchas, violati hac in parte juris naturalis reos, traducere non vereatur, absolvens tamen eos a crimine adulterij per Deum non imputati, ut pote qui erant de numero Electorum. Acriter invehuntur in primum Polygamistam *Tertulianus*, (s) *Primus Lamech duabus maritatus, tres in unam effecit carnem. Hieronymus: Primus sanguinarius & homicida unam carnem in duas divisit uxores, homicidium & bygamiam, eadem cataclismi delevit pæna.* Verum enim vero: esto connubium unius viri cum pluribus simul uxoribus, lege naturali ac divina proscriptum fuerit, Deo tamen in gratiam propagationis generis humani dispensante licitum erat in Lege Mosis &

naturæ

(s) l. de exhort: castt: c. 5.

naturæ. Lege Evangelij Christus ut Deus, Matrimonium ad primævam revocans conditionem, dispensationem veteribus datam revocans polygamiã illicitam fecit, ac plane irritam. Turpissime ergo errarunt *Pseudo-Theologastri, Luther: & Melanchton, Philippo Landgrovio Hassiæ* duas uno tempore habendi uxores veniam dantes. Bigamiam non damnat Ecclesia uti *Montanus, Tertulian, & Novatus: sed quomodo* inquit (*t*) *Hieron:* non damnantur istæ nuptiæ, ita nec prædicantur.

CXCIX.

Proprietatem Metrimonij primã quæ est unitas, altera consequitur indissolubilitas nempe. In Lege Mosis dirimebatur per libellum repudij ob duritiam cordis Judæis permissi. Nunc uno conjugum infidelium ad fidem converso, altero contumaciter in infidelitate persistente dirumpitur Deo dispensante in gratiam Religionis Christianæ. Inter fideles autem, per solemnem unius conjugum professionem in Religione approbata. Græculi cæcis Novatoribus ducatum præbent ex ijs Christi

(*t*) in Apolog: ad Pomach:

ſti verbis (u) *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam excepta fornicationis cāuſſa, facit eam mæchari*, inferendo Matrimonij vinculum adulterio dirimi: peſſima ſane conſecutio. *Nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit*, ait *Auguſt: niſi prioris eſſe deſierit, eſſe autem deſinet uxor prioris, ſi moriatur vir ejus, non ſi fornicetur.*

CC.

Quia duo iſta contractus civilis & Sacramentum, neceſſario diſtingvuntur in Matrimonio, conſequens eſt, a naturæ Reipublicæ & Eccleſiæ legibus, illud certis circumſcribi oportuiſſe limitibus (hos impedimenta vocamus) a quibus nullimode poſſunt exorbitare. Jtaque ſicut Eccleſiaſticæ poteſtatis eſt conſtituere impedimenta dirimentia, circa ea quæ ſunt in Matrimonio ſpiritualia, ita poteſtatis Civilis circa temporalia, atque adeo ambæ illæ poteſtates ſunt a Deo inſtitutæ & ordinatæ, ut nedum inter ſe non pugnent, quin mutuo ſe foveant & adjuvent. Poteſt ergo Eccleſia, quod procaciter oblatrat *Luther*: in conditis a ſe impedi-

montis

(u) Math: c. 5. de adult: conjung c. 5.

mentis dispensare ut consanguinitatis inlinea collaterali, quæ alias usque àd VII. gradum dirimebat Matrimoninm, nunc illud duntaxat dirimit usque ad IV. gradum inclusive, ex *Concilio Lateranen:* (w) Jmo vero, definiente *Gregorio* IX. (x) *Vir qui a stipite quarto gradu, & mulier quæ ex alio latere distat quinto, licite possunt Matrimonialiter copulari,* nec indigent dispensatione.

In compillando novissimo hoc Sententiarum Libro, non Scotistica modo scrinia, ast & aliorum expillavimus: ut Commentarium Historic: & Dogmatic: de Sacramentis in genere & in specie Gasparis Juvenin. Le Droit sive Authorem Operis de Re Sacramentaria, Witasse, Morinum, Thomassinum, Contessonium Natalem Alexandrum, Antoine &c.

(w) Cap: non debet (x) Cap: Vir: l. 4. tit: 4.

D O M

Honor & Gloria.

Dispu-

Disputabuntur publicè Neocorcinij ad Ædes S. Stanislai Episcopi & Martyris, apud PP. Minores Conventuales, Capitulo Provinciali Præsidente A R.P Andrea Błędowski AA. & Sæ Thlgæ Doctore, Exprovinciali, Gvardiano Neocorcinensi, Commissario Generali. *Instituentibus, & assidentibus* PP. Pancratio Kalitowicz ac Joanne Capistrano Dutkiewicz *Studij Regentibus. Ad Objecta respondente* F. Ægidio Kowalski *Anno* 1761. *Mensis Junij Die* 30. Hora pomeridiana.

VII Jus Can...

2000,-



